MATTHÆUS – THERMÆ – 1606

X 2
F. g.
d
47.
A t e
41

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

Accession Number

Press Mark
MATTHAEUS, J.

655761A

X2

RATIONALIS ET EMPIRICA *Thermarum Marchicarum Badenſium*

DESCRIPTIO,

DIVERSAS ILLARVM SCATVRIGINES, VIRES ET FACVLTATES, DEDVCTIONEM, HOſpitiorum commoditatem, generalem & ſpecialem in morbis particularibus vſum, nec non ſymptomatum in thermis contingentium curationem, continens.

Non ſolum artis Medicæ tyronibus, ſed ijs etiam qui thermis ſunt vſuri, apprime vtilis.

AVTORE
D. IOHANNE MATTHÆO,
Heſſo. Medico Marchico-Badenſi.

MEDICAL SOCIETY

ETTLINGÆ.
Ex Typographia Iohannis Philippi Spieſſij.

ANNO M. DCVI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO GEORGIO FRIDERICO MARCHIONI Badenſi & Hachbergenſi, Landgrauio in Sauſenberg, Domino in Röteln & Badenvveiler, &c. domino ſuo clementiſſimo.

QVOTIESCVNQVE Regius Propheta Dauid, admiranda Dei opera aſpexit, toties ſummam ſummi creatoris maieſtatem, ſingularem prouidētiam, bonitatem infiniam ſuſpiciens, totus in laudibus altiſſimi & glorioſiſſimi Dei fuit. Inde eſt quod cœli apud eum enarrant gloriam Dei, & firmamentum Pſal. 18.

annunciat opera manu
um eius: Inde quod admi
Pſal. 8. rabile nomen eius in vni
uerſa terra facit, magnifi
centiamq; ipſius, qui præ
parat mõtes in virtute ſua
ſupra cœlos eleuat.

Sed cum infinita ſunt o
mnia opera Dei, tum vero
in præſentia, multiplice
thermarum fontes, ineffa
bili Dei ſapientia & boni
tate, in vſum humani g
neris conditos admira
potius licet, quam penitiu
rimari. Etenim ſtupend
omnino, ſi intuemur, r
eſt, montes Puteolanos, c
es, noctesque tot elapſis ſ

cu

culis flammas eructantes, nihilo tamen in hunc vſq; diem imminutos vel combuſtos. At ſtupendum magis perpetuum aquarum calidarum fomentum, ꝙ ſi ſulphur eſt vel bitumen in terræ viſceribus accenſum, vt clariſſimi quique Philoſophi conſtituunt, veriſimile certe erat, tot millium annorum ſpacio, omnem incẽdij fomitem abſumi potuiſſe. Scilicet ea cauſa fuit, cur olim Galenus, acerrimus alioquin rerum naturalium perſcrutator, qui nullum medicamenti genus, ſua ætate vſi-

tatum, intactum reliquit, de thermarum natura nihil ſcripſerit, quamuis tum temporis Romæ famoſiſſimæ eſſent thermæ Antonini, Diocletiani, Neronis, pluriumq; aliorũ. Nam vt methodi & rationis fuit ſtudioſiſſimus, ita thermas nec ſola ratione inueſtigari, nec certa methodo tradi poſſe, abunde perſpexit. Cum igitur ſola ratio thermarum naturam inueſtigandi, minime ſufficiat, ſed diuturna & diligẽs obſeruatio & experientia ſimul requiratur, extiterunt omni ætate nonnulli, qu

expe

experientia potius quam ratione duce, de thermis, vel in genere vel ſpecie, ſua nobis reliquerunt commentaria. Sed cum nemo hactenus quod ſciam, extiterit, qui antiquiſſimas Badēſium thermas ex profeſſo deſcripſerit, quicquid iſtud laboris & oneris eſt, in me ſuſcipere omnemq; operam quam per biennium in Italia impendi ad cognoſcenda potiſſimum Aponitanarum D. Petri, S. Helenæ, Montis Ortonis, Montiſq; Ægrotorũ effecta; Quæ etiã non minori

 ſtudio

ſtudio in thermis Germa-
niæ Emſenſibus, Wisba-
denſibus Huberianis, &
tandem per quinquenni-
um in celeberrimis hiſce
Veſtr. Celſ. thermis Baden-
ſibus, humana ratione, ad-
hibitaq; obſeruatione di-
ligenti, notare potui: O-
mitto doctiſſima multo-
rum Germaniæ Medico-
rum conſilia ægris ad vſur-
pandas thermas præſcri-
pta, ea inquam omnia in
publicam vtilitatem pro-
ferre, & talento mihi con-
credito vſuram aliquam
facere volui. Verum vt
hũc quaſi fœtum, Illuſtriſ-
ſime

ſime Princeps, ſub veſtræ Celſ. clementi protectione & liberali ſtipendio edidi, ita eundē veſtræ Celſ. quo gratiam, non quam debeo, ſed quam pro tenuitate mea poſſum, obſeruāti & deuoto animo declararem, nunc dico, addico, conſecro. Impellunt me ſimul viri clariſſimi, qui ſingularem veſtræ Celſ. ingenij & iudicij vim, animũque liberarum artium ſtudijs deditum, ſuſpiciunt, publiciſq; ſcriptis ſummopere prædicant. Quam vero Celſit. veſtra in arte Medica ſit verſata, ſuperiori

anno, quando non veræ & veræ pleuritidis mentionem fecit, haud mihi obſcurum eſſe potuit. Quapropter cum non dubitē, quin veſtra Celſ. de hac mea qualicunque lucubratione, optime iudicatura ſit, alium patronum & defenſorem contra maleuolorum rictus quærere, mihi fuit religio. Veſtram igitur Celſ. humilime oro & obteſtor, vt tenue hoc thermarum ſuarum opuſculum, meq; ipſum, dum maiores ingenij vires, omnipotens Deus largiatur, in clementem ſuam protectionem

ctionem ſuſcipere digne-tur. Deum interim toto corde veneratus, vt veſtrā Celſ. non ſolum in vſum Marchionatus Badenſis, ſed vniuerſæ Germaniæ, communis patriæ, ſaluam florentem ad diuini ſui nominis gloriam, diu conſeruet. Badenis March: Menſ. Octob. An: 1605.

Celſ. veſtræ.

Humilimus

Iohannes Matthæus
Med. D.

DE THERMIS BADENSIbus Marchicis.

PARS PRIMA.

Diuerſas earum ſcaturigines, vires, deductionem & hoſpitiorum commoditatem continens.

INter alias thermas ; quibus Clementiſſimus Deus ſaluti Germaniæ noſtræ proſpexit, ſine dubio celeberrimæ ſunt Badenſes Marchicæ, partim ab vſu, partim à dominio ſic dictæ. Nomen. Balneare ſiquidē Germanis Baden ſonat, quaſi non pro potu ſed balneo antiquitus vſurpari conſueuerint. Quod vero ſub Illuſtriſſimorum Marchionum dominio ſunt, Marchicæ, ad differentiam Helueticarum cognominantur. Appellantur etiam Thermæ Hercyniæ propter ſitum: Sita Situs vrbis. enim

enim eſt vrbs Badena ad ſyluam Hercyniam, in montenſi regione, eo nimirum montium tractu, qui olim Mortenauium, dictus fuit. Eſt vero Badena Marchionatus metropolis, ad collem vitibus & pratis amœniſſimum exſtructa, diſtans ab Argentina quinque miliaria. Durlaco quatuor, à Rheni flumine vnum.

Fertilitas.

Totus iſte tractus, vini & frumenri feraciſſimus eſt: Cum primis vero generoſiſſimis vinis, quæ à valle ſimiarum & ab Eibergo monte, nomen habent, celebratur, adeo vt nec Baccharacenſibus vel Rhenanis alijs cedere videantur. Fructus horarios quod attinet, dici vix poteſt, quanta vbertate & bonitate ibi proueniant. Abundat præterea tota iſta regio, omni cibariorum genere, piſcibus ſaluberrimis, fundalis, trutis, cancris, nec deſunt Salmones, variaque volatilia & alia quæ ſunt ad ſuſtentationem vitæ neceſſaria.

Antiquitas thermarum.

Quo autem tempore cœperint thermæ Badenſes, haud ſatis compertum habetur, rudera enim vetuſtiſſimæ arcis, in ſuperiore montis parte collapſæ, nul-

nullam temporis notam præſeferunt. In templo vero vrbis ad ingreſſum portæ maioris, lateris ſiniſtri, ſaxum parieti inſertum, hac inſcriptione cernitur.

M. AVRELIO ANTONINO CÆS. IMP. DESTINATO IMP. L. SEPTIMI SEVERI PERTINACIS AVG. FILIO. RESP. AQV.

Hinc nonnullis veriſimile videtur, Thermas Badenſes Marchicas, ſub Marco Aurelio Antonino cœpiſſe, qui An. Chriſti 221. ad imperatoriam dignitatatem peruenit: Cum tamen ex prędicta inſcriptione appareat, iam tum Badenſes thermas floruiſſe: Vt vt ſit, ſatis apparet, thermas iſtas olim etiam non ignobiles fuiſſe.

Eſt autem thermarum Badenſium non vna, ſed plures ſcaturigines, limpidiſſimæ quidem omnes eiuſdemque ſaporis, in calore vero actuali diuerſiſſimæ. Scaturigines.

Principaliſſima ſcaturigo, haud procul à foro in platea, qua ad Gryphonem, diuerſorium itur, in medio quaſi colle verſus meridiem copioſiſſime Prima.

ebul-

ebullit. Hæc ſcaturigo, muro vndique eſt contecta, niſi quod caminum habet, emittendis vaporibus deſtinatum, qui & ipſe tegulis aduerſus decidentes pluuias & niues munitur.

Secunda. Altera ſcaturigo in eadem via, iuxta prædictum Gryphonis diuerſorium è loco obſcuro in publicum erumpit, & culinæ, potiſſimumq; deplumandis volatilibus & depilandis porcis conſecrata eſt, quam ab vſu *Depilantem*, differentiæ gratia nominabimus.

Tertia. Tertia, in ipſo Gryphonis diuerſorio ad manuum ſiniſtram ingredientibus obuia habetur.

Quarta. Quarta, infra fontem depilantem, ferme ſub maiore porta Gryphonis, muro cincta erumpit & amplo canali in hoſpitium Vngemach dictum, deducitur. Hinc ab ipſo hoſpitio denominatur.

Quinta. Quinta in eiuſdem collis parte ſublimiore à poſteriori parte depilantis ſcaturiginis, aſcendentibus obijcitur in loco obſcuriſſimo, qui infernus indigenis vocatur: Hinc nobis ſcaturigo infernalis dicetur.

Sexta

Sexta in diuerſorio Vngemach dicto, ſub hypocauſto Æthyopis ſcaturit. Sexta

Septima in quodam eiuſdem diuerſorij angulo, iuxta hortum, verſus orientem promanat, quem locum incolæ pinguem ſpeluncam appellant, vnde ſcaturigo pinguis cognominabitur. Septima.

Octaua, nona & decima, in hoſpitio cui à frigido fonte nomen inditum eſt, ſcaturiunt, quarum prima & ſecunda calidæ ſunt, tertia valde anguſta & tepida, vnde forſan nomen huius diuerſorij ad frigidum fontem defluxit. Octaua. Nona. Decima.

Vndecima & duodecima ſub macello, in Crypta quadam oblonga, diſtinctis canalibus & diuerſo calore, occaſum verſus erumpunt. Vna quę aliarum more calida eſt, ſupra Cryptæ fundum ligneo canali vſque deducitur, dum paulo ante effluxum in duo lapidea receptacula illabitur, vnde tandem in viam publicam ſe exonerat. Hanc ſcaturiginem Bitten vocant, quaſi eius in viam publicam deriuatio precibus impetrata ſit, vnde præcariam quoque vocabimus. Vndecima. Duodecima.

Altera eſt tepida, ligneo etiam cana-

li in proximum hoſpitium Baldreich dictum deducitur, vnde fons Baldreichianus dici poteſt.

Sunt igitur in vniuerſum duodecim ſcaturigines: quarum quidē aliquæ propter lenem & inſenſilem influxum, venæ potius ſcaturiginū nominandæ eſſent: Non enim omnis aquarum è terra exitus, ſcaturigo appellari debet.

Dubium

Enumeratis duodecim thermarum fontibus quæſtio ſtatim exſiſtit, an vt plures & diuerſæ ſunt ſcaturigines, ſic etiam facultatibus ſint differentes.

Dubii ſolutio.

In hac difficultate quæ non exigui eſt momenti, non ſine ratione ſtatuendum exiſtimo, diuerſas ſcaturigines, diuerſas & differentes qualitates & virtutes non habere. Eſt enim idem mons, ex quo emergunt: vna omnium mater: vnus & idem omnium ſapor, odor idem: vna & eadem omnium operatio: Eadem ſunt mineralia, ijdem concreti lapides canalibus, & thermarum ductibus adhærentes, qui & ipſi inter ſe eiuſdem ſunt caloris & ſaporis. Quicquid deniq; per inſolationem, euaporationem, ebullitionem, alembicationem ſeu deſtillation

in fun-

in fundo relinquitur, vna eſt eademque maſſa, nec odore nec ſapore, nec vlla alia re differens.

At regeritur, cum non vnus & idem ſit omnium prædictorum fontium calor, neceſſum eſt, non in omnibus eaſdem eſſe vires. Conſtat enim fontem ſub macello ſcaturientem & in Baldreichianum hoſpitium deductum, parum vltra teporem aſſurgere: quin anguſtũ etiam in hoſpitio frigidi fontis extantem, moderate calidum eſſe: Reliquos vero omnes tactu quidem intolerabiles, non tamen depilare, quemadmodum fons iuxta Gryphonem feruentiſſimus, quem *depilantẽ* vocauimus. Huic inſtantię reſpondetur, rebus calidis, duplicem calorem ineſſe poſſe actualem ſcilicet & potentialem. Actualis calor quin in dictis fontibus magnopere differat, negari nequit, niſi ſenſum tactus negare velis: Sed inde tamen virium diſſimilitudinem minus recte inferri aſſerimus.

Magis enim reſpiciendum, quid calor alicuius rei potentialis quam actualis præſtet, quorum ille fixus eſt, hic cito

euaneſcens. Vinum Rhenenſe igne liect calefactum, minus tamen vino græco calefacit, quamlibet ipſo actu frigidum ſumatur. Cum igitur in thermis potius ad potentialem quam actualem calorem, vtpote quem nemo citra corporis ſui deſtructionem ferre poſſit, reſpiciamus, nulla hic virium inæqualitas metuenda. Quãtum enim caloris, thermis tepidis, in longo itinere & terræ anfractibus iam deceſſit, tantum thermis ex feruenti ſcaturigine deriuatis, in balnei cellulis euaporare & decedere permittimus.

Cauſa diuerſi caloris actualis.

De cauſa vero diuerſitatis in calore actuali, diuerſas vulgi opiniones ferri ſentio. Sunt enim qui putent aquis tepidis, communem aquam frigidam in tranſitu commiſceri.

Alij vero medicorum quorundam perſuaſionibus adducti opinantur non omnes mineras tepidis aquis ineſſe, quę feruentibus aquis inſunt. Sed vtramque opinionem erroneam eſſe, præter ſimilem & eundem ſaporem & operationem, vel hoc manifeſtiſſime conuincit, quod vna menſura tepidæ aquæ deſtil-

lata

lata vel cocta, nec plus nec minus minerarum in fundo, quam feruentiſſimus fons depilatorius, relinquit: cuius rei probationem plures alij mecum experti ſunt. Vera igitur inæqualitatis in calore actuali cauſa eſt, quod tepidę ſcaturigines non ſunt veræ ſcaturigines (non enim omnis aquæ exitus eſt ſcaturigo, vt ſupra dixi) ſed venæ potius per longiores terræ circuitus exporrectæ, in quibus propter longum & anfractuoſum iter, actualis calor aliquantum remittit. Ex quo fabuloſum eſt, quod de quodam caupone Baldreichiano quæſtui dedito multi nugantur, quaſi fodiendo & prædictum fontem dilatando, aquæ frigidæ affluxum attraxerit. Si enim res ita ſe haberet, tũc nec ſapor nec minera poſt deſtillationem eadem cum alijs appareret.

Præterea ſi tepidæ aquæ, frigidæ aquæ affluxum paterentur, ſequeretur reliquos etiam fontes qui in calore actuali *Depilanti* non ſunt æquales, aliquam ſaltem frigidæ aquæ admixtionem habere, quod tamen eſt falſiſſimum.

Therma-rum Badē-ſium vera facultas.

Conſtituto igitur omnes therma-rum Badēſium fontes vnius & eiuſdem eſſe facultatis, ſecundo loco inueſtigandum reſtat, quænam ſit iſta facultas.

Oribaſius thermarum facultates difficulter inueſtigare poſſe, memoriç prodidit: Eandem difficultatem cernens Paracelſus, per effecta de thermarum viribus & natura iudicandum cenſuit. Quemadmodum enim impoſſibile eſt, autore Paracelſo, de arboribus iudicare niſi fructus guſtentur & probentur: Sic de thermarum viribus iudicium fieri nequit, niſi effecta & operationes diligenter prius obſeruaueris.

Attamen cum duo ſint inſtrumenta, quorum beneficio in cognitionem rerum omnium naturalium deuenitur. Ratio nimirum & Experientia, horum vtique ductu thermarum vires explorare conabimur.

Experiemur autem, vinum, aquam, omneſque alios liquores, quibus aliquid admiſcetur, nec ſaporem nec odorem, nec naturalem proprietatem ſeruare, ſed rerum admixtarum ſeu infuſarum naturam aſſumere: Hinc proindubi-

indubitato ſtatuendum, thermas nec communem aliarum aquarum ſaporẽ nec proprietatem ſeruantes, aliarum rerum, quæ in ipſis quaſi immerſæ & infuſæ reperiuntur, vim & naturam imitari atque aſſumere. Quæ autem illæ ipſæ res thermis infuſæ & commixtæ ſint, non eſt vel inuentu vel dictu facile.

Inuſitatum thermarum calorẽ quod attinet variæ fuerunt philoſophantium ſententiæ, quæ in eo tamen conueniunt omnes, thermas ab aliquo bitumine vel ſulphure vel alia re ad conſeruandum incendium idonea, in terræ cauernis accenſa, calefieri. Eamque ſane ſententiam oculorum ſenſus confirmat. Videmus enim Neapolitanos vel potius Puteolanos montes ſulphure prægnantes, dies noctesque ardere, flammam & fumum euomere, diuerſiſque in locis aquam feruentem ſulphuream effundere. Videmus quin etiam ipſis aquarum ductibus interdum ſal, interdum alumen vel gypſum, vel calicis aliquid adhæreſcere: quæ res non obſcuro teſtimonio eſt, huiuſmodi mineras in montium receſſu, vbi liquidæ adhuc

ſunt, cum aquis iſtis commiſceri vireſque ſuas aquis imprimere.

Sin vero aquæ ductibus nihil adhæret, nec terra ex qua erumpit, aliquam mineram ſuppeditat, quæ in rei inueſtigationem nos deducere poſſit: Medici ipſam aquam per inſolationem, ebullitionem, alembicationem ſeu deſtillationem vel alios etiam probationis modos explorare conſueuerunt. Vnde vt ad Badenſes thermas, à quibus deflexit ſermo, ſe referat, reperire eſt in canalibus vetuſtioribus denſos & duriſſimos lapides, lateribus adhærentes, certis laminis & duobus coloribus diſtinctos. Ea enim parte qua canalibus adhærent, ſunt nigricantes vel gryſei, exteriore vero flaueſcentes: fractu contumaces, & linguæ ſi admoueas, adhærentes inſtar boli, qui & lapidis calcarij aliquid referunt, & ſaporem habent falſum atque linguam condenſant.

Thermæ autem ipſe cutem corrugant & conſtringunt, vnde aluminis cõiecturam potiſſimam capere poſſumus. Quin imo vbicunque rimula aliqua in thermarum ductibus & canalibus li-

gneis

gneis ſe ſe offert, vt aqua tranſſudare poſſit, ibidem ſal puriſſimum concretum inuenitur. Hinc capellæ ſalis auidæ non ſolum dictos canales, ſed ædificiorum etiam parietes thermarum aqua madentes, tanta auiditate lambunt, vt vix plagis abigi inde poſſint. De ſale igitur tantum abeſt vt dubitemus, vt certo potius ſtatuamus, ſal potiſſimam thermarum Badenſium mineram eſſe.

Porro dicti lapides canalibus adhærentes, præter manifeſtam adſtrictionem linguæ & cuti communicantes, ſi in groſſum puluerem redigantur, & ſupra prunas ponantur, primum crepitant & diſſiluunt, mox fumum & odorem ſulphureum manifeſte exhibent. Hinc de lapidibus iſtis ſic ſtatuo, eſſe concretionem ex tenuiſſimis & quaſi inſenſibilibus aluminis, ſalis, calcarij lapidis & ſulphuris ramentis factam. Nec vero haſce mineras in pari quantitate thermis ineſſe facile dixerim. Sal enim & viſu & ſapore reliquas mineras longe ſuperat: Proximum locum obtinet alumen, cuius rei non ſolum lingua & dentes ſtuporem inde nacti teſtimonium

prębent, ſed oculorum etiam ſenſu corpuſcula per lapides thermales ſcintillantia inſtar alumnis atteſtantur. Tertium in hac mineralium lapidum concretione locum, Sulphur ſibi vendicat, ꝙ tamen vapore potius & ſpiritu ipſis thermis, quam eſſentia ſua ipſis lapidibus ineſſe deprehenditur. Qua de cauſa Paracelſum miror, qui cõtra manifeſtũ ſulphuris odorẽ & fumum in igne perceptibilẽ, ſulphuris minerã Badenſibus thermis detrahere, & tres thermas, Ferinas nimirũ Cellenſes & Badenſes vnicam lapidis calcarij mineram habere, abſque omni fundamento aſſeuerare auſus fuerit: Cum ex dimidia thermarum menſura, vltra duas ſalis & aluminis drachmas tam deſtillando quam ebulliendo collegerim. Nec vero Sulphuris minera ab homine ſano negari poteſt: quanquam enim ea concretorum lapidum pars, quæ nigricantis eſt coloris, nullum in igne odorem vel fumum ſulphureum emittit, quæ res me ipſum aliquamdiu, ſuſpenſum tenuit: altera tamen flaueſcens pars comminuta, oculis & naribus perceptibi-

lem

lem fumum & odorem in igne exſpirat, Idem facit lutum, quod lapideis receptaculis ſub macello in ſcaturigine precaria colligitur & reſiccatur. Quod ſi eiuſdem luti maior in alijs ſcaturiginibus copia ſuppeditaretur, ad vſum frequentem transferri poſſet. Deſinat ergo Paracelſus Sulphuris mineram negare, quam nemo ſanæ mentis negare poteſt. Lapidem autem calcarium quod attinet, viſu & emplaſtica ſua vi innoteſcit: Quin imo ſum huius ſententiæ lapides in canalibus adhærentes huius calcarij lapidis interuentu adeo compingi & glutinari, vt difficulter confringi poſſint.

Verum ad duas hoc in loco quæſtiones reſpondendum, quarum prior eſt, vnde ſit illa lapidum thermalium nigrities: Altera, cur non in alijs etiam fontibus vel fontium receptaculis flaui coloris lutum reperiatur quemadmodum in fonte precario. Ad primã reſpondeo, cum nigrities ſit in illa lapidis parte, quę ligneo canali adhæret, & fruſtula ligni putrefacti in iſta lapidis nigricantis parte reperiantur, facilis eſt coniectura nigras

Queſtiones duæ.

Reſponſio.

nigras ſordes canalibus putreſcentibus adhærentes, cum appoſitione minerarum concreſcere nigrumque colorem efficere. Ad alteram reſpondeo, fluxum fontis precarij non eſſe velocem & rapidum, ideoque limum ſubſidere poſſe: in alijs vero fontibus vel propter velocitatem & rapiditatem fluxus limum abripi, vel propter nimium feruorem in lapidem concreſcere.

Badenſium thermarum mineræ.

Concludo igitur, thermas noſtras ex copioſo ſale, multo alumine, ſulphure & aliqua lapidis calcarij parte conſtare. Ex quo neceſſario conſequitur, prædictas thermas omnium dictarum minerarum naturam poſſidere. Ratione itaque ſalis, quod autore Ægineta multum ſiccat & adſtringit, abſtergit reſoluit & diſſipat, ſimiles facultates ipſę thermæ obtinebunt. Eodemque modo propter admixtionem aluminis, cui Diſcorides præter manifeſtam adſtringendi vim, etiam calefaciendi facultatem annumerat, thermæ etiam calefaciendi vim habebunt. Sed maiorem tamen calefaciendi, diſcutiendi, emolliendi & maturandi vim à ſulphuris minera poſſidebunt

bunt: Quibus ſulphuris facultatibus, Gal. 9. ſimp. vim ex alto attrahendi adſcribit. Denique lapides calcarij admixtione, vim emplaſticam & exſiccatoriam ad fœda & contumacia vlcera ſananda vtiliſſimam aſſumunt.

Generales vires.

Cæterum ex diuina hac minerarum ſalubrium commixtione non niſi præclaras operationes & effecta percipiunt, quicunq; legitimo & vero modo thermis vtuntur. Primum enim in genere quaſi thermæ noſtræ morbis à frigida quacunque intemperie ortis præclare opitulantur, & catarrhis omnibuſque affectibus à ſuperflua humiditate natis medentur. Hinc à podagricis doloribus infallibiliter præſeruant, niſi quis luxurioſe viuens, corporis ſui modum neſcire velit. Deinde articulos relaxatos & infirmos roborant & paralyticis atq; contractura laborantibus ſubueniunt, tumores diſcutiunt & reſoluunt. Ad hæc ventriculum & vterum à nimia humorum copia aggrauatum liberant & confirmant. Menſtrua item ſuppreſſa prouocant, & immodice profluentia cohibent. Et vt multa paucis dicam, à mo-

moleſto albo vteri fluxu liberant: Stere-litatem à frigida & humida intemperie corrigunt: Omnis generis dolores leniunt: Vrinæ] incontinentiæ medentur: Scabiẽ & vlcera curatu difficilia ſanant, aliaſq; ęgritudines tollunt, quemadmodũ infra in ſpeciali morborũ enumeratione, non ſolũ certis rationibus, ſed etiam exemplis & hiſtorijs empirice cõprobabimus. Sed hic antequã generalẽ & particularem thermarũ vſum aggrediar, rem non ingratam nec inutilem ijs me facturum cõfido, ſi harum thermarum variam deductionem & hoſpitiorum balneorumq; cõmoditatem ignorantibus prius monſtrauero, vt cuiuſq; loci & ordinis homines, pro arbitrio locum hoſpitij & balnei ſibi commodum eligere, nec tam amœnitatis, quam ſalubritatis corporiſq; ſui rationem meliorem habere poſſint. Hoſpitia enim quẽadmodum eleganti fabrica & ſtructura, ſic etiam aëre magis minuſue libero & perflabili maxime deferunt. Præterea ea eſt in quibuſdam hoſpitijs cellularum ſtructura vt ægris ex cubiculo vel hypocauſto directus in balnei cellu-

Thermarũ deductio & hoſpitiorum commoditas.

lam aditus detur: id quod paralyticis & alijs difficulter incedentibus maximo eſt compendio, qui in alijs hoſpitijs, vbi per gradus vel aſcendendum vel deſcẽdendum, magnopere moleſtantur.

In foro igitur primum occurrit Illuſtriſſimi Marchionis domus, quatuor balneorũ cellulas amplas meridiẽ verſus habet. Sita eſt hæc domus amœniſſimo totius vrbis loco, proſpectum habẽs verſus orientem, meridiem & occaſum. Aqua quæ in hanc domum, quam priuilegiatam vulgo vocant, deriuatur, ex principali ſcaturigine ꝑ tbuulos ligneos deducitur. Quæ autem aqua in hac domo abundat, nec in vſum vertitur, certo quodam canali in priuatam quandã domũ Abelis Stimmeri deriuatur. Habet hæc domus præter deriuationem quam dixi, etiam ex principali ſcaturigine canalem. Duo iſti canales in quodam receptaculo coëunt & balneorum cellulis vndecim aquam large ſuppeditant. Eſt etiam ipſa domus ſeptem hypocauſtis adiunctis totidem cameris exornata & eos recipere ſolet, qui vel magnam hominum

Balneum principis.

Balneum priuatum.

fre-

frequentiam in alijs hoſpitijs auerſantur, vel proprijs ſumptibus victum coëmere & ſuo modo coquere cupiunt.

Zum Vngemach.

Inter publica vero hoſpitia, ſi loci ſalubritatem, ſtructuræ commoditatem, totiuſque domus capacitatem ſpectes, ſine dubio præcipuum eſt quod ironica quadam ἀντιφράσει, Germanis Vngemach vocatur, quaſi idoneis habitationibus deſtitutum. Eſt enim viginti ſex hypocauſtis & cœnaculis amœniſſimis, præter cubicula, quæ vt plurimum hypocauſtis decenti ordine ſunt adiuncta, ad omnem neceſſitatem exornatum. Cellulas vero balneorum habet ſexaginta, quarum viginti quatuor recta linea & ordine eleganti verſus orientem exſtructæ ſunt, vt ægris ad balneorum cellulas ituris per gradus nec ſit aſcendendum nec deſcendendum. Reliquæ cellulæ partim in ipſa domus area, partim alijs locis commodis ædificatæ, omnes tamen aſſeribus & tabulis ſeparatæ & diſtinctæ ſunt. Thermæ in has ſexaginta cellulas deductæ, partim ex pingui & propria harum ædium ſcaturigine, partim ex illa ſub maiore Gryphonis porta proueniunt. Huis

Huic hoſpitio proximum eſt, quod à Salmone nomen habet, eleganter etiam exſtructum & quindecim hypocauſtis cum adiunctis quindecim cubiculis exornatum: quibus annumerantur decem cameræ plebeis inſeruientes. Balneorum cellulas habet quinquaginta octo, quarum quædam in anteriore domus area, quædam in poſteriore: nõnullæ integris tabulis, aliæ ligneis cancellis ſunt diuiſæ. Thermæ huius hoſpitij, partim ex Æthiopis ſcaturigine, partim ex principali, ligneis canalibus inferuntur. Zum Salmen.

In eadem platea habetur hoſpitium cuius inſigne eſt angelus: anguſtum omnino nec vltra quatuor præbens habitationes: Cellulas vero balneorum viginti, cancellis diſcluſas habẽs. Thermarum ortum ad ſcaturiginem Æthiopis refert. Zum Engel.

Aliud è regione hoſpitium habetur cuius ſignum eſt Taurus, verſus orientem extructum habitationes ſeptem, partim cameras partim hypocauſta, balneorum vero cellulas octodecim Zum Ochſen.

habet, Thermæ huius hoſpitij ex ſcaturigine infernali deducuntur.

Zur Sonn. Hoſpitium ſolis anguſtum eſt & balneorum cellulas ſedecim habet, in quas thermæ in priuata balneorum domo exſuperantes deducuntur.

Zum Baltreich. Iuxta ſcaturiginẽ precariam, hoſpitium Baldreich ſitum eſſe, paulo ante diximus. Eſt hoc hoſpitium cõmodis habitationibus & balneorum cellulis bene exornatum: in loco tamen paulo obſcuriore ſitum. Hypocauſta habet tredecim, quibus cubicula totidẽ ſunt adiuncta, & cameras vulgares non paucas. Vtitur autem tribus thermarum ſcaturiginibus in triginta balneorum cellulas deductis, habet enim thermarũ ductum ex principali ſcaturigine, alterum aquæ tepidæ ex crypta ſub macello, tertium ex calida ſcaturigine hoſpitij ad frigidum fontem dicti. Cellularum etiam nonnullæ duplicem habent canalem, quorum alter aquam calidam, alter tepidam ſuppeditat, pro balneantium voluntate.

Supra forum in receſſu iſto, vbi principalis eſt ſcaturigo, quatuor adhuc ſunt hoſpitia. An-

Anterius ab haſta donantium, hypocauſta habet ſex præter alia cubicula, Balneorum vero cellulas triginta quatuor, in quas thermæ ex infernali ſcaturigine, nec non quæ in Gryphone abundant, deriuantur. Hypocauſta & Cameræ maiori ex parte meridiem reſpiciunt. Zum Spies·

Ex aduerſo eſt hoſpitium frigidi fontis, quod vt ſupra dixi, triplici vtitur ſcaturigine, duabus calidis & vna tepida, vnde thermæ huius domus triginta duabus balneorum cellulis abundanter ſufficiunt, & etiam Baldreicho aliquid ſuppeditant. Hypocauſta quinq; præter aliquot cameras elocanda habet. Zum külē brunnen.

Non procul hinc Rubri Leonis hoſpitium eſt, quod cum depilanti ſcaturigini ſit proximum, fortiores thermas habere vulgo creditur, eoque fit, vt qui calidi epatis ſunt, has thermas fugere ſoleant, cum tamen non ex hac vicina, ſed ſuperiori ſcaturigine infernali, ſuas deductas thermas habeat. Cellulas habet triginta duas, cubicula ſex. Zum roten Levven.

Reliquum eſt Gryphonis hoſpitium, cuius partes duæ ſūt anterior à Grypho- zum Greif vogel.

ne antiquitus denominata, poſterior à Tubicine. Hanc poſteriorem domum Sereniſſimus Palatinus Elector Otto Henricus exſtrui curauit: Poſt duæ iſtæ partes coaluerunt & à Gryphone iam denominantur Hypocauſta, in vtraque domo ſunt viginti duo: Balneorum cellulæ ſeptuaginta duæ, quarum viginti duæ integris aſſeribus, reliquæ cancellis ſunt diſtinctę, quibus omnibus ſufficit ſcaturigo, quam in ipſa domo prouenire diximus: Inſuper communicat nonnihil aquæ, hoſpitio ad haſtam.

Sunt igitur præter domum Illuſtriſſimi principis & alteram priuatam de qua diximus, publica hoſpitia decem; balneorum cellulæ trecentæ octuaginta nouem.

Superſunt adhuc duo ampliſſima thermarum caſtra ad forum ſita, quorum anterius Pauperibus, poſterius ciuibus conſecratum eſt, vtrumque vero ex principali ſcaturigine aquam ſumit.

Arm bad. Burgerbad.

Viſuntur etiam balnea duo ſeu ſtufæ potius, lauandis & ſacrificandis deſtinatæ, quæ tamen in ipſæ thermarum ex principali ſcaturigine, affluxu non carent

rent: Superiorem domum priuilegiatam vocant, alteram inferiorem. Ex eadem denique ſcaturigine canalis extra vrbē, in domum leproſorū deducitur. Ex hoſpitio quoque Vngemach vocato, canalis extra vrbem in Xenodochium deriuatur: adeoque maxima eſt, ſingulari Dei gratia, Badenſium thermarum abundantia, quarum vſum nunc conſiderabimus. Freybade. Vnderbaat.

PARS SECVNDA.

De generali thermarum vſu pro balneo.

CVm in particularium morborum curatione per vſum thermarum ſuſcipienda, multa ſæpe repetenda occurrant, quæ ſatius eſt generaliter & ſemel exponere, non ingratum fore arbitror, generalem thermarum vſum, ad vitandam ingratam repetitionem præmittere.

In generali vero thermarum vſu recte inſtituendo, primum ipſi morbi generaliter, deinde anni tempus, tertio corpo- In generali thermarū vſu quę cōſideranda.

corporis, quarto ætatis, quinto ſexus thermas ingredientis conditio conſideranda.

1. Morbi.

Oribaſ. lib. 10. c.3. balnea ſponte naſcẽtia non acutis, ſed diuturnis & chronicis morbis conuenire, memoriæ prodidit.

2. Anni tempus.

Tempus anni ab omnibus commodiſſimum cenſetur æſtatis: proximũ ab æſtate eſt tempus vernale: tertium autumnale ſibi vendicat. Hyemali vero tempore licet thermæ Badenſes per integrum annum, ſaporem eundem & calorem ſeruent, nec dulcium aquarũ vel pluuiarum affluxu, vllo tempore corrumpãtur: ad balneum tamen, propter aliquot cauſas, niſi quis in cubiculum importare velit, minus idoneę cenſentur. Primum quia & moleſtum & periculoſum eſt denudatum, corpus in calidas aquas immergere, deinde adhuc humidum externo aëri viciſſim exponere. Secundo quia partes corporis ſuperiores quæ immergi non poſſunt, frigori, reliquæ calori obijciuntur. Denique quia thermę hyberno tempore propter incumbentem aërem frigidum, denſiſſimos

ſimos vapores capiti aduerſantes emittunt. Nec tamen deerunt qui menſe decembri in cellulis iuxta ſcaturiginem Gryphonis exſtructis, felici ſucceſſu balnearunt. Inter alios fuit Scotus, quã ab Hiſpanis captum, & chorda miſere diſtractum & lacerũ quaſi frigidiſſimus carcer diu detinuerat, vt membrorum ferme omnium quaſi ſenſu & motu priuatus eſſet: is media hyeme perfecte reſtitutus diſceſſit. Obijciat hic aliquis, cũ aquæ ſubterraneæ hyberno tempore nec euaporare poſſint, nec à ſerpentibus alijſque virulẽtis vermibus ſint immunes, periculoſum vel certe inutile erit thermas hyberno tempore vſurpare. Dubium.

Reſpondeo paucis, vt vt hæc omnia in aquis frigidis veritatẽ habeant, thermas tamen ratione feruoris ſatis euaporare, nec virulentarum beſtiarum acceſſum ferre, quod vaporem ſulphureum fugiant. Solutio.

Iam vero corporis balneum ingredientis ea oportet ſit conditio, vt vires nõ plane ſint diſſolutæ, ſed quę inſeſſionem, vt ſic loquar, ferre, & moleſtiæ aliquid ſuſtinere poſſint. Aluũ etiã adſtri- 5. Corpus.

ctám habentes vel intermittant thermas vel per idonea pharmaca quotidianam eius curam habeant.

4. Ætas. Ætatem quod attinet, cum minores decennio neq; aſſumendis pharmacis, neque ſectioni venæ ſint idonei, thermas minus ferre poterunt. Ad hæc tenellam etiam ætatem ſingulis diebus in balneũ deducere, nihil aliud eſſet quam mollia & tenera corpora elixare varijſque morbis exponere. Itali etiam ab vſu thermarum ſenes excludere videntur, quos tamen propter caloris penuriam & humoris excrementicij copiam præ reliquis ad thermas relegandos eſſe exiſtimo.

5. Sexus. Ad Sexum venio, quem clariſſimus Fuchſius conſiderans, thermas Badenſes fœminis quaſi conſecrauit. Hinc Vdalricus Romlerus Auguſtanorum celebris Medicus, quem honoris & amoris ergo nomino, ſingulis annis fœminas, thermarum Badenſium vſu, à grauiſſimis affectibus liberat. Cur autem fœminis potiſſimum conferant, in cauſa eſt, quod fœminæ, præſertim delicatulæ nulliſque laboribus aſſuetæ, excremen-

ticias humiditates accumulant, quas thermarum calefacientium & exſiccantium vſus, poſt præmiſſas generales euacuationes, conſumere frigidamque corporis intemperiem corrigere poteſt.

Cæterum cum virium facta ſit mentio, nõ immerito quæritur, an qui morbis diuturnis conſumpti ſunt & extenuati (quales vt plurimum ſunt qui poſt colicam facti ſunt paralytici, quorum magnus numerus ad thermas confluere ſolet) ad thermas magis extenuantes, recte mittantur. Queſtio.

Reſpondeo, abſque viribus corporis nulla medicamenta, ne dum thermas prodeſſe: viribus vero non plane deficientibus, magis ad dolorem vel paralyſin vel ſimile quid, quam ad maciem reſpiciendum eſſe: quamuis etiam macies, impuro frigidoque exiſtente ventriculo, corrigi vix poſſit, niſi ventriculo aliiſque viſceribus concoctioni deſtinatis ſuccurratur, quod ipſum per thermas fieri poterit. Reſponſio.

Propter Oribaſij etiam textum allegatum quæſtio mouetur, cum omnes Medici per αὐτὸς morbos intelligant Alia queſtio.

 cali-

calidos, an etiam calidæ conſtitutionis homines ad thermas ſint idonei.

Solutio. Huic quæſtioni cum primis ſatisfaciendum, cum intelligam Badenſes thermas, propter inſignem, vt loquuntur calorem, multis ſuſpectas eſſe, vt vel epar vel calidos renes habentes, has thermas magno errore fugiant.

Sciendum igitur duplicem eſſe thermarum calorem, actualem & potentialem. Cum vero actualis thermarum calor, qui certe vehemens eſt, decem horarum ſpacio in balneorum cellulis, ad temperatiſſimum gradum reducatur, à nemine ſanæ mentis eum formidari exiſtimo. Potentialem ꝙ attinet, qui in rebus ſingulis maxime in conſiderationem venit, ſi thermarum ſaporem examines & ſingularum minerarum naturam & proprietatem ſpectes, modum deniq; mixtionis & compoſitionis conſideres, vtpote in quo ad vnam ſalis aliarumque minerarum drachmam, ducentæ, drachmæ aquarum concurrant, vehemens calor nulla ratione conſtitui poteſt. Conceſſo tamen vehementem quoq; eſſe potentialem calorem, an igitur

tur omnibus calidæ conſtitutionis hominibus frigida vel humida ventriculi vel vteri, cerebri vel externorum articulorũ intemperie laborantibus, thermæ indifferenter fugiendæ? haud equidem opinor: ſemper enim magis ad affectũ qui vrget, quã ad conſtitutionem reſpiciendum, & curatio præſentium malorum præſeruationi futurorum longe præferenda.

Quare morborum diligenti ratione habita, conſideratiſq; anni temporibus, corporũ diſpoſitione, ætate deniq; & ſexu, ante thermarum vſum purgantia medicamẽta & venæ ſectio pro ratione indicationũ inſtituenda. Periculoſum enim eſt plena & impura corpora, abſq; generali & idonea euacuatione ad thermas deducere: obſeruatione ſcilicet edoctus, corpora non purgata, tumentibus cruribus diffuſis vndiq; & eliquatis humoribus, laborioſe excoriari.

Poſtquam autẽ ęger ad thermas peruenit, nõ confeſtim ab itinere, ſed reſumptis viribus inſidebit, primumq; dabit operã, vt balnei cellula ſingulis veſpertinis temporibus ſcopis vndiq; extergatur & repurgetur: deinde vt ad medietatẽ ferme recentiũ thermarũ affluxu repleatur, quas obturato epiſtomio foribuſq; clauſis, per noctẽ ſtare permittat, vt ſummo actualis caloris gradu depoſito, ſequenti mane recentiũ thermarum affluxu ad iuſtam tolerantiam & inſeſſionem contemperari poſſint. Ordo balneandi.

Tertio poſt frictiones, inambulatio-

nes aluique excretionem ſequenti luce, ſupra ventriculi regionem prima vice inſidebit: neque enim illorum ſententiam approbare queo, qui ægros vix ſupra nates prima vice inſidere iubent. cum ventriculus ſupraeminens eneruetur omniſq; appetitus deſtruatur. Balneandum autem ab octaua vſq; ad nonam, vel ſi vires ſint infirmæ, per horam dimidiam. Poſt egreſſum ex balneo, æger quidem pelliceo aut alia idonea veſte, corpus linteolis ſiccatum tegeat, & in lectum ſe recipiet, vbi quieſcat: vel ſi natura eo inclinet, ad ſudandum ſe componet. Famulus vero obice è fundo balnei extracto, mediam thermarum partem effluere permittet, vt ad alteram inſeſſionem quæ fit à meridie, aperto epiſtomio, tantum recentium thermarum influat, quantum æger ad tolerantiam & prædictam profunditatem requirit.

A meridie facta ciborum concoctione, iterum per horam vnam vel dimidiam inſidendum: poſt egreſſum etiam quieſcendum in lecto, vel ſi ſudor vrgeat, ſudandum.

Inte-

Interim in balneo neque dormiendum neque comedendum vel bibendũ, nec intenſiori voce clamandum vel cãtandum. Conceſſum tamen infirmioribus, vt confectiones ſuas & confortantia medicamẽta, etiam in ipſis thermis aſſumant. Ex ventriculo etiam vertiginem patientibus, vel animo deficientibus, licitum eſt iuſculum aliquod vel maluatici pauxillum bibere.

Caput ab externo aëre matutino potiſſimum, moderate muniendum.

Altero mane immorabitur æger in balneo per horam vnam & dimidiam: Idemque faciet à meridie, ſingulis inſeſſionibus per horam mediam vſque aſcendens, dum ad quinque vel ſex ad ſummum horas tota die inſumendas deuentum ſit: Quanquam hominum vulgus, magno ſuo diſpendio, horas decem ſe immergere ſolet.

Cęterum ſummus iſte balneandi terminus vel mora, pro cuiuſq; conditione, tolerantia alijſque circumſtantijs, aliquot diebus continuetur. Deinde quemadmodum horæ balneandi increuerunt, ſic etiam oportet, decreſcant &

im-

imminuantur, donec ad duas iterū̃ horas per diem: In vniuerſum vero quam diu vtemur thermis ad 70. 80 90. vel 100 horas, ad ſummū̃ ſit peruentū̃. Semper tamen præſtat, non tam iuxta præſcriptas horas, quam morborū̃, corporis & virium reſpectum, balneo vacare, ſecus qui faciunt, ſibique vim inferunt vt præſcriptas horas rigide obſeruent, in grauiſſima quæque ſymptomata incidunt.

Solet porro vulgus hominum caloris quoque gradum indies augere ſicut incrementum horarum, vt tādem quaſi elixentur. Qua in parte mediocritas obſeruanda, meoque iudicio ſufficit, ſi paulo ante exitum actualis thermarum calor intantum augeatur, quantum ad ſudoris liberiorem prouocationem requiritur.

Victus ratio. Inſtituto balneandi ordine, non minori ſtudio idonea victus ratio inſtituenda. Quicunque enim bonam victus rationem tenere nequit, is omni medicina, Galeno teſte, fruſtra vtitur.

Toto igitur cœlo errant qui ad thermas confugiunt, vt dies noctesq; balneando

ando conſumant, nulla victus ratione obſeruata. Quin imo vt ſumptibus parcant balneique pretium perſoluant, crudelis fructibus & frigidæ aquæ potu nonnullos ſe ſuſtentare videas: perinde ac ſi tantus error in victu committi non poſſit, quem thermarum vſus corrigere neſciat.

Vnde mirum non eſt magnum ęgrorum numerum abſq; fructu, interdum etiam grauiori corporis valetudine, diſcedere. Studēdum igitur vt non ſolum cibi boni ſucci facileſque digeſtionis aſſumantur, ſed horæ etiam certæ prandendi & cænandi accurate obſeruentur, ne ægri balneorum ordinem interturbare, vel pleno adhuc ventriculo, balneum ingredi cogantur.

Optandum etiam nę caupones quæſtui inhiantes, plures recipiant, quam ꝗ honeſtè & deſtinata hora lautè excipere atque tractare poſſint. Deinde vt ſalphas, pectines & plateſſas ſimileſq; piſces & carnes ſale & fumo conditas & induratas, ad foſſores & baiulos relegent ſuiſque ægris de optimis alimentis diligenter & fideliter proſpiciant, quæ

qui-

quidem Dei gratia toto iſto tractu non deſunt, & ſi quid deeſſet, ſecundo Rheni flumine ex vicina Alſatia importari poſſet. Abundat autem totus Badenſium tractus optimis vitulis, gallinis earumque pullis, caponibus varijſque aniculis ſylueſtribus. Omnis etiam generis piſces copioſe aduehuntur, Salmones, Trutæ, Fundali, Cancri, & quicquid denique in vſum ægrorum requiritur.

Quin etiam omnis generis ſalubria vina alba & rubra, Rhenenſia, Eibergica, & quæ à valle Simiarum pedeq; Anſerino cognominantur, copioſe habentur. Qui fortia vina ferre nequeunt, ijs facultas miſcendi cum acidis fontibus non deeſt.

De potu Thermarũ

Quęſtio.

Cæterum vt ad generalem thermarum vſum redeam, cum thermæ in Italia non ſolum pro balneo, ſed pro potu etiam, Strabonis teſtimonio, antiquitus vſurpatæ fuerint hodieque bibantur: Et Vitruuius lib. 8. cap. 3. fontis aluminoſi mentionem faciat, quam ægri pro potu hauſerint: non abſque cauſa quæritur, an Badenſes etiam thermæ pro

potu

potu medicinali vſurpari debeant. Reſpondeo: cum Badenſis vrbs propter thermas Baden dicta ſit, veriſimile eſt, has thermas ſolius balnei vſum antiquitus præbuiſſe, vel certe rariſſime pro potu vſurpatas fuiſſe. At vero cum thermæ noſtræ ex noxiæ alicuius mineræ admixtione non conſtent, nec in loco inſalubri ſed ſaluberrimo ſcaturiant, non ſine vtilitate bibuntur. Notandum tamen, thermas non ijs omnibus pro potu conferre, quibus pro balneo conferunt. Reſponſio.

Ratio enim & quotidiana experientia docent, balneum thermarum noſtrarum calculoſis pro fomento vtiliſſimum, pro potu vero noxa non carere. In genere igitur ſtatuendum thermas Badenſes bibi poſſe, vbicunque vel adſtringendum vel calefaciendum, vtpote in profluuio vteri, fluore albo, vrinæ incontinentia, ventriculi impuritate & frigiditate, in colicis doloribus alijſque ſimilibus affectibus.

In potu vero thermarum generaliter inſtituendo ad modum & quantitatem reſpiciendum. In potu Thermarũ quę conſideranda.

D Modus

Modus bibendi thermas duplex eſſe poteſt: vel enim bibuntur abſq; balneo, vel cum balneo. Sed cum abſq; balneo rariſſime bibantur, videndum quomodo vna cum balneo vtiliter bibi poſſint. Res autem ita habet. Quando æger alicui dictorum affectuum obnoxius, per dies octo balneauit, iamq; & odorem & inſeſſionem ferre didicit, matutino quidem tempore, hora dimidia ante exitũ hauſtum ex ipſo canali excipiat & ſtare permittat, donec depoſito feruore bibi poſſit, deinde in lectũ delatus ad ſudorẽ haud ſe cõponat, ſed abſq; ſomno paulisper quieſcat, poſt inambulet, vt p motum aqua hauſta facilius reddatur per aluũ. Si ſubſtiterit ventremq; tumidum reddiderit, iniecto clyſtere retrahenda. Fallopius in tali caſu cõmendat pilulas, ex.)ij *Maſs: Aggreg. & g.ij. Elaterij.* Altera die potio eodem tempore repetatur: ac ſi ne tunc quidem ſua ſponte per aluum reddatur, remedijs prouocetur.

Tertiæ deniq; diei hauſtus ſi abſque moleſtia & tormine aluo reddatur, progrediendum ad dies ocho vel decem. Si n ſubſtiterit & moleſtias excitauerit, potus

tus thermarum omnino intermittatur. Idem etiam intermittendus ſi excoriatio appareat, ne motus naturæ impediatur.

At inquis, ſi thermæ vi adſtringente, ſunt præditæ, quomodo aluum mouebunt? Reſpondeo: ratione ſulphuris & ſalis poſſunt ventriculi & inteſtinorum ſordes abluere & detergere: ratione vero aluminis, adſtrictionem poſt ſe relinquunt. Quinimo cum multa extent ſimplicia quæ contrarias operationes præſtant, cur huic medicinæ ineffabili Dei optimi ſapientia ordinatæ & compoſitæ, eaſdem denegemus? Queſtio. Reſp.

Porro quantitas bibendi non poteſt omnibus ægris vna & eadem præſcribi: ſufficiunt tamen prima vice ſex vel octo vnciæ, ſecunda vice decem, tertia duodecim, & ſic vlterius, donec ad liberam vnam & dimidiam peruētum ſit. Quantitas hæc vt creuit, ſic deinde decreſcere viciſſim debet.

Verum enimvero cum præter thermarum potum etiam acidulæ Grysbachenſes ad vſum ægrorum Badenam perferantur, aliquid de illarum vſu, Acidulæ.

D 2 quan-

quantum inſtituti ratio permittit breuiter dicendum.

Diſtant fontes acidi Grysbachenſes quinque miliaria Badenis, eoque ſatis copioſe importari ſolent. Sunt autem aliquot in iſta valle fontes acidi, quorum inferior à templo D. Petro conſecrato denominatur; qui Badenam ternis vel etiam alternis diebus infertur, quia vicinior eſt & acidior itineriſque moram ſuſtinere poteſt.

Superior vero, licet in ipſo loco ad bibendum ſuauior & ſalubrior iudicetur. Badenam tamen delatus minorem retinet aciditatem & efficaciam.

Ægri igitur qui ratione primarij morbi thermis vtuntur, ſi vel calidioris ſint epatis, vel in appetentem habeant ventriculum, vel renes calculo obſtructos, vna acidulas hunc in modum bibant. Si finitis balneandi horis in lecto quieuerint ægri, hauſtum acidularum ſumant, ori tamen vrceum non admoueant, ſed quinque vel ſex vncias in poculum effundant ſtatimque ebibant. Vrceo quippe ori admoto, quod reſiduum eſt, facile corrumpitur vireſque exſpi-

exſpirant. Deinde vrceum non in camera ſed cella vinaria reponant orificio probe munito. Dent etiam operam vt nocturno tempore acidulæ aduehantur, ne calore ſolis ſpiritus euaporent. Poſt ſumptas acidulas, ſi renum calculo obnixius ſit æger, hac illac inambulet vſque ad tempus prandij, vt, quod hauſtum eſt, ad renes magis deducatur. Sin ventriculum habeat inappetentem, vel epar plus iuſto calidum, iſta inambulatio neceſſaria non eſt: quieſcente enim ægro, acidulæ diuturniorem moram in iſtis viſceribus trahunt, eaque magis roborant. Studendum tamen ne vel nimia quiete plane ſubſiſtant, & diſtenſiones ventris excitent: in quo caſu vel mouẽdum corpus, vel morſelli ſequentes aſſumendi.

℞. Coriandr. præp. ℥ iij.
Macis
Cinam. groſſo modo inciſ: an. ʒj.
Ol: Stil. Aniſ.
Fœnic. an. g. iij.
Sach. q. ſ. diſſol: in aq. flor: Acaciæ, fiant morſelli.

Poſt balneum meridianum, ſimili

modo eadem acidularum quantitas bibenda, vnciatim ſingulis diebus aſcendendo vſq; ad liberam: quæ menſura pro neceſſitate per aliquot dies cõtinuanda, donec æger melius habeat: Deinde vt quantitas fuit adaucta, ſic viciſſim imminuenda. Qui vero acidulas ad ipſam ſcaturiginem bibunt, maiorem quantitatem aſſumunt. Hoc autem loco vbi corpora commode exerceri non poſſunt, & primario balneum vſurpatur, prædicta quantitas & exercitatio mediocris ſufficiunt.

Pro ordinario interim potu ad paſtum, acidulæ, ſi medicamenti vim habere debent, minime concedendæ. Quod ſi tamen immenſa ſitis ægros vexet, conceſſum eſt vinum acidulis dilutum bibere. Sin per ſe in paſtu bibantur, multiplices obſtructiones pariunt. Nec moueri me patior quod homines ad dictos ſimileſq; fontes habitantes pro potu ordinario ijs vtantur: in conſuetis enim minor fit læſio, nec illis acidulæ propter nimiam naturæ familiaritatem pro medicina, ſed nutrimento eſſe ſolent. Hæc de acidulis ad thermarum vſum nunc redeundum. Præ

Præter balneum igitur & potum thermarum etiam pro Stillicidio in certis caſibus magna cum vtilitate vſurpantur, ita vt thermæ idoneo aliquo vaſe vel tina epiſtomium habente excipiantur & trium, quatuor vel quinque pedum altitudine reponantnr, apertoque epiſtomio ſupra caput vel alias corporis partes humorum copia & affluxu occupatas paulatim inſtillare permittantur. Hic vtendi modus quemadmodum in Italia eſt frequentiſſimus, ſic in conſumendis Germanorum catarrhis ex intemperantia natis, præmiſſis idoneis euacuationibus, ſoli balneo longiſſime præferendus. Huiuſmodi ſtillicidium vel in balneo, vel abſq; balneo vſurpari poteſt. In balneo, vt æger in balneo ſedens, caput vel humerum vel aliam quamcunque partem humorum copia vel flatibus obſeſſam, ſtillicidio ſubijciat: vel ſine balneo illabentem aquam ſupra partem affectam commode excipiat: Huiuſmodi illapſus altius penetrat, magis ſiccat & reliquis interioribus viſceribus calida intemperie laborantibus parcit.

Stillicidiũ thermarũ.

Stillicidij vis.

Stillicidio etiam non minus quàm balneo bis ſingulis diebus, à paucis horis incipiendo, & ad plures progrediendo iterumque remittendo, vtendum erit.

Laconicũ. Alium quoque thermarum Badenſium vſum excogitauit clariſſimus Bauhinus Bollenſium aquarum ſcriptor celebris, in præfato Bollenſium aquarum libro innuens, Badenſium thermarum eam eſſe commoditatem, vt pro laconico etiam vſurpari poſſint. Cum vero laconicum ſit locus ſubterraneus, in quo calidus vapor naturaliter erumpens ingredientes large ſudare faciat, non equidem video, vbi huiuſmodi locus detur. Circa principalem equidem ſcaturiginem calido vapore abundantem tutum non eſt fodiendo locum laconico idoneum inueſtigare, læſis enim thermarum venis, thermæ diſtraherentur, nec tot balneorum cellulis amplius ſufficerent. Exiguo quidem ſumptu facilique labore aliquot concamerationes circa prædictam ſcaturiginem, quæ vndique eſt concluſa, exſtrui & vapor per certa foramina in dictas concamerationes ad eliciendum ſudorem, deduci poſſet.

Cum

Cum vero antiqui ſcaturiginem, forſan propter hominum malitiam, ne injuriæ inferendæ locus detur, contectam eſſe voluerint, perforatio iſta locum non habebit.

Eſt ſane in Gryphonis hoſpitio ſcaturigo ex ſaxo erumpens, quæ adiunctam ibi ſtufam calido vapore replet, vt pro laconico inſeruire poſſit.

Cum vero defluens ſudor aliquot balneorum cellulas corrumpat, nec hic laconici exſtruendi commoditatem reperio. Crypta denique ſub macello ad vſum laconici opportuniſſima eſſet, niſi & hic ſudor defluens ſcaturiginem precariam foras deductam inquinaret. Vt vt autem ſit propter ſingulares operationes huiuſmodi laconicum exoptandum eſſet, vt & iſta acceſſione thermæ noſtræ magis magiſq; celebrentur, & hominum ſaluti pluribus modis proſpiciatur.

Vltimus thermarum vſus in luto conſiſtit, quod inſtar cataplaſmatis, tumoribus flatulentis & œdematoſis feliciter applicatur: Cum vero Badenſes thermę parum luti ſuppeditent, vt abſque bal- Lutum.

neo nulla vtilitas inde ſperari poſſit, de vſu illius hoc tantum ſubijciendum, quod lutum in crypta ſub macello collectum (ibi enim maiori copia inuenitur) nocturno tempore ſupra crura & brachia affecta vſurpari poſſit.

PARS TERTIA.

De particularium morborum per thermas curatione.

De Catarrhis.

QVamuis Badenſes thermæ ſingulari facultate calefaciendi & exiccandi præditæ ſint, adeoque catarrhoſo capiti præcipue mederi debeant, paucos tamen ſolo balneo reſtitutos, & à catarrhis liberatos obſeruari. Nec ſane mirum: non enim pars affecta ſed ſana balnei fit particeps. Fumos autem & vapores quod attinet, qui aſcendendo caput feriunt & ſudorem aliquem prouocant, minime ſufficiunt. Quicunque igitur catarrhoſi radicem mali reuul-

ſam cupiunt, poſt generales corporis e-uacuationes, non ſolum balneo ſed ſtil-licidio quoq; vel quotidiana capitis per thermas lotione vti debent. Hunc in modum curata fuit nobiliſſima matro-na à VValbron, quæ poſt colicam & pa-ralyſin ex catarrhoſo capite non ſolum vertiginem ſed tam grauem etiam auri-um ſonitum patiebatur audiendiq; dif-ficultatem, vt omnium campanarum ſonum, equorum hinnitum, hominum ſuſurrationes varioſque cantus & con-centus muſicos ſe audire putaret. Hæc cum aliquamdiu ſolo balneo abſq; fru-ctu vſa eſſet, tandem caput quotidie la-uando inſigniter fuit adiuta, vt mole-ſtiſſimi ſonitus falſi que cantus remitte-rent.

Eundem fructum ex ſtillicidio per-cepit dominus Zacharias Etzelius VVir-tembergicus, qui præter aurium ſoni-tum difficilime audiebat.

Circa vſum vero ſtillicidij obſeruan-dum, non protrahenda eſſe ſtillicidia ad dies vel horas balneo deſtinatas, ſed ad pauciores vel etiam plures pro af-fectuum contumacia. Deinde ca-

uen-

vendum ne caput calida intemperie laborans, ſtillicidio ſubijciatur.

De vertigine.

VErtiginoſis thermæ rariſſime conferunt, forſan quia aquarum fluctuatio & commotio vertiginoſorum oculis moleſta eſt & aduerſa. Hic igitur Oribaſij præceptum valere debet, qui cap. 3. lib. 10. inquit, quiete balneandum eſſe abſque commotione aquæ. Hinc proſpiciendum vt illabentis & obſtrepentis aquę influxus per conuenientem tabulum vel fiſtulam intercipatur, ne ſtrepitus vel commotio excitetur. Quin imo totam aquarum ſuperficiem tabulis contegere ſoleo, vt æger ſolo extante exertoque capite aquæ commotionem intueri nequeat. Hic balneandi modus bene aliquando contulit Fegerinæ, virgini Norimbergenſi in hoſpitio Vngemach/ cum alter thermarum vſum continuare haud poſſet.

De Epilepſia.

VErtigini vicina eſt Epilepſia, quæ, ſi ex conſenſu vteri male affecti gene-

generatur, thermarum Badenſium vſu aliquando curatur: Sublata enim cauſa tollitur effectus. Sæpe tamen Epilepſia ex conſenſu vteri, diuturnitate in eſſentialem cerebri affectum degenerat, nec thermis curationem admittit. Hinc factum ſuſpicor quod antiquæ nobilitatis fœmina à clariſſimis Medicis Petro Hollando & Roderigo de Caſtro, Portugalenſi, ex Holſatia, fruſtra ad has thermas miſſa fuit: Erat lectiſſima fœmina optimæ temperaturæ & ingenij præſtantioris quam in talem ſexum cadere ſolet. Hæc venturos paroxyſmos præſentiebat, meque aliquoties acceſſebat vt inuſitata alioquin ſymptomata coram obſeruarem. Ante paroxyſmum vteri commotiones animique defectiones aderant. In ipſo paroxyſmo pedum & brachiorum conuulſio, videbat interim & intelligebat omnia: Loquebatur interdum ſed difficulter, interdũ claudebat oculos, interdum aſpectus erat toruus. Tantum vero abfuit vt thermæ opem ferrent, vt frequentiores etiam paroxyſmos excitarent. In Epilepſia igitur ex menſtruorum ſuppreſſione vel

vel alio vteri affectu proueniente, thermæ non ſunt differendæ.

Neque etiam recordor vllius viri qui thermarum vſu ab Epilepſia liberatus fuerit. Muliebris vero ſexus recenti Epilepſia ex vteri vitio laborans, poſt pręmiſſas generales euacuationes, non ſolum thermis pro balneo ſed quandoq; etiam pro potu vti debet. Quod ſi à vino abſtinere nequeat, dilutiſſimo ſaltem vtẽdum. Deinde ieiuno ſtomacho nunquam, ſed aſſumpto prius iuſculo aliquo in balneum eundum, ne caput ieiunantium prauis vaporibus, aſcendentibus facilius & grauius afficiatur.

De Apoplexia & Hemiplexia.

APoplexiam fortem ſoluere eſt impoſſibile inquit Hipp: debilem vero non facile. Cum vero debilis Apoplexia in reſolutionẽ alterius lateris degeneret, quam Gal. lib. 4. de vict. acut. tex. 23. Hemiplexiam nominat, & malum illud diuturnum eſſe ſoleat, ægri

ad

ad thermas plerunque velut ad aſylum confugiunt. Quanquam igitur malum hoc à copia frigidi humoris in alterutrum latus influentis, generetur, & propterea calefacientium & exiccantium thermarum vſu, curatio ſperari liceat, paucos tamen vidi qui prima vice, plures autem qui ſecunda vice thermas repetendo perſonati fuerunt. An quia thermarum vis vſitata inſeſſione ad neruorum exortum, vbi cauſa mali hæret, haud pertingit: vel quia humor illapſus nimium tenax eſt & viſcoſus. Hoc ipſum ſenſiſſe videtur Montagnana in conſilijs, vbi inſeſſionem in tali caſu vſque ad fauces præcipit, vt nimirum tota ceruix ex qua nerui in articulos prodeunt, immergatur.

Huius rei exemplum reliquit, quidam ſenatorij ordinis ex Marchionatus Badenſis oppido Lohr, qui an. 1604. fruſtra thermis vtebatur, ſequenti vero anno, vel quia contumax erat malum, vel quia profunde ſatis non inſederat, in hoſpitio Vngemach ab Hemiplexia liberatus fuit.

Anno autem 1602. concubina canonici

nonici Bruſſellani Hemiplectica ad ad thermas Baldreichianas delata trium ſeptimarum ſpacio integre reſtituta fuit, vt ſaltationibus etiam ſub diſceſſum indulgeret. Non minorem vtilitatem percepit Abbas Gamingenſis, Bartholomæus, qui ſella circumducebatur, poſt vſum vero thermarum in hoſpitio Vngemach/ perfecte reſtitutus fuit.

De Paralyſi.

CVm Paralyſis grauis & diuturna ſit paſſio, in qua ægri medicamentorum continuationem reſpuunt, plerunque thermis curanda committitur, Duplex vero eſt Paralyſis: vna quæ per eſſentiam cerebri exceſſiue humidi, altera quæ per conſenſum vteri vel inteſtinorum vel aliarum partium ſimili intemperie laborantium, generatur. Paralyſis quæ per conſenſum fit, potiſſimum autem quæ Colicam inſequitur, licet Æginetæ tempore cognita fuerit, frequentior tamen nunquam fuit, quā hoc noſtro ſeculo, vbi omnis fere Colica in Paralyſin degenerat.

In

In vtraq; paralyſi articuli interdum abſque dolore, interdum comitante vago, inconſtante & hinc inde diſcurrente dolore reſoluuntur.

Quamuis vero Badenſes thermæ vtrique Paralyſi opem non contemnendam ferant, ignari tamen homines falſo ſibi perſuaſum habent, recentem paralyſin thermarum vſu exaſperari. Hinc caupones aduenientibus huiuſmodi ægris thermas diſſuadere, & vt ſequenti anno redeant, conſulere ſolent, quaſi æger interim inducias facere poſſit cum doloribus.

Hunc errorem inde oriri arbitror, quod in recenti paralyſi neceſſaria medicamenta neglecta aluique conſtipatio multum laboris & moleſtiæ pariat, quæ cum ſolius balnei beneficio difficulter tollatur, quandoq; etiam augeatur, in ancipiti ægri verſantur.

Sed quantum paralyſin attinet quæ per eſſentiam cerebri excrementa ſua in principia neruorum deponentis generatur, non tam balneum quam ſtillicidium ſupra caput requirit. Quinimo niſi balneum ita inſtituatur vt ceruix &

ſcapulæ immergantur, omnes ſumptus inutiliter in balneum impenduntur. In vtraque interim paralyſi diligens alui ratio habenda & primis quidem diebus, clyſterijs vel infuſionibus aluum laxantibus vtendum, diebus autem ſequentibus ipſę thermæ, quemadmodum in generali tractatione dictum eſt, ordine bibendæ. Thermis in corpore ſubſiſtentibus clyſteres ordinandi ex aquis thermarum additis oleis & electuarijs vſitatis. Inter alios autem clyſteres maxime confert, qui recipit:

Herb: Orig.
Puleg.
Calament.
Betæ.
Flor. Chamæm. an. mj.
Sem. Fænugr.
Carui an. ʒ.j.
Flor. Lauend.
Stœchad.
Prim: Veris an. m ſ.
Coq: in aq. thermarum, factæ colaturæ adde Ol. Lumbricor.
Ol. Rutæ.
Chamæm. an. ʒj.

Pul:

Pul: (Caſtor:.) j.
Elect Hier.com. ʒvi.
Salis thermarum ʒj. miſc. fiat Clyſter.

De Spaſmo.

PAralyſi, ſi partem primario affectam ſpectes affinis eſt Spaſmus ſiue conuulſio, non quidem illa quæ ex temporum interuallis cum mentis & ſenſuum læſione, ſed quæ citra mentis læſionem accidit. Huiuſmodi conuulſio ſi momẽtanea ſit & dolorifica, qualis vigilantes & dormientes non raro torquet, ſimpliciter Spaſmus appellatur.

Quæ vero conſtanter perſeuerat, vulgo contractura appellatur. Momentaneus Spaſmus plerunque fit à flatibus tam neruos quam muſculos occupantibus: Flatus vero ex idonea aliqua materia frigida, ſuperueniente debili & infirmo calore proueniunt. Hunc ſpaſmum per thermas auerti poſſe, & ratio uidens & experientia quotidiana teſtantur.

Contractura vero cum à contrarijs cauſis inanitione ſcilicet & repletione teſte Hipp: fiat thermæ autem exiccan- *Contracturæ cauſæ.*

do inanitionem augeant, facile apparet in cõtractura poſt longam inediam, febrem ardentem, vulnera, copioſam ſanguinis profuſionem; alui diuturnum profluuium aliaſque inanitiones facta, thermas fugiendas eſſe.

At quæ à repletione, auctis nimirum crudis & plegmaticis humoribus generatur, huic ſingulare remedium thermarum potus, balneum & ſtillicidium ſuppeditant. Longum autem foret in confirmationem huius curationis omnes recenſere ægros qui thermis reſtituti fuerunt. Anna Salome Bauarica, cœnobij Schönfeldenſis, monialis, per triennium crura ad podicem vſq; contracta habebat; ad thermas delata, diuertit in hoſpitio ad Salmonem; vbi poſt idoneam corporis euacuationem & venæ ſectionem, quatuordecim dierum balneo vſa, crura extendere; tandem libere & firmiter incedere cœpit. Eodem modo reſtituta fuit vxor D. Oſiandri in Gryphone. Neſcio tamen qua occaſione in eandem contracturam eodem anno inciderat, ſequenti igitur anno thermas repetendo, iterum reſtituta fuit.

De tremore.

REſtat alius neruorum affectus Tremor nimirum, qui licet à timore, ebrietate aliiſque cauſis quandoq; fiat, plerunq; tamen fit à frigida & humida cerebri intemperie neruos infeſtante ſpirituſq; animalis tranſitum impediente.

Hinc frigidis humidiſque naturis maximeque ſenibus familiare eſt ſymptoma. Præmiſſis igitur vniuerſalibus purgationibus, per pilulas maxime inſtitutis, thermæ pro potu & balneo cõferunt. Inſidendum autem vſque ad os vt nerui ex cernice procurrentes vim balnei percipiant. In exitu etiam balnei ab aëre frigido diligenter cauendum.

De affectibus aurium.

AVrium dolor, tinnitus, ſurditas ſæpe à ſimplici intemperie cerebri, interdum à compoſita: quandoque cum affluxu humorum, quandoque etiam citra humorum affluxum, oriũtur. Hinc fit quod hyberno tempore, lũna

etiam creſcente plurimum inualeſcant. In hiſce vero affectibus thermarum aquam multis diebus bibẽdam eſſe nonnulli docent. Ego immerſionem & ſtillicidium potioni præferendã exiſtimo. Inſideat autem æger extra paroxyſmi tempus, & reclinato corpore ita ſe accõmodet, vt ceruix, occiput ipſæq; aures plane immergantur, ſola facie extante.

Deinde finito mox balnei tempore, per quartam horæ partem ſtillicidio vtatur. Egreſſo & in lectum delato, caput ex maſticis & Succini ſuffitu ſiccetur, idemq; ſuffitus auribus per infundibulum accipiatur, vt humiditas auribus adhuc inhærens penitus conſumatur. Hunc in modum à diuturna auriũ ſcabie, ſurditate & tinnitu liberatus prætor Hattenſis ſeptuagenarius in hoſpitio ad haſtam. Nec ſilentio hic prætermittendum, quod Fallopius de ſalſo, aluminoſo & ſulphureo balneo Corſennæ in agro Lucenſi ſcriptũ reliquit, quod De manu ad tollendam ſurditatem factum prædicat: cui balneo cum noſtrum ſit ſimile, mirum non eſt quod eaſdem operationes præſtet.

De

De affectibus Thoracis.

ASthmaticos Medici vocant, qui citra febrem difficulter, interdum etiam cum ſonitu & murmure reſpirant. Cauſa eſt craſſus interdum glutinoſus humor in pulmones vel aſperam arteriam illapſus, ſuoque pondere pectoris anguſtiam difficultatemque reſpirandi inferens. Hinc partes, reſpirationi inſeruientes inſurgunt & regerere conantur, quod ſibi graue eſt & moleſtum. In huius mali curatione medici materiam craſſam & glutinoſam incidere, emollire & ad reiectionem idoneam reddere ſtudent. Cum vero Badenſes thermæ copioſi ſalis & aluminis ſint participes, quarum minerarum virtute potius denſant & conſtringunt, haud apparet qua ratione Aſthmaticis proſint. Sine ratione igitur Stephanellus Patauinus aſthmaticis ſuis thermas aluminoſas pro potu & balneo ordinaſſe videtur.

Ad hanc difficultatem reſpondetur thermas Badenſes non ſolum aluminoſas ſed ſulphureas etiam eſſe: Eſt autem

ſulphuris vis emollire & reſoluere. Deinde diſtinguendum inter cauſam antecedentem Aſthmatis, & eam quæ pulmonibus iam eſt impacta. Ad cauſam antecedentem ſine dubio thermarum ſtillicidia conferunt, ad impactam vero, ratione duntaxat fomenti proſunt.

De Phtiſi.

CVm præſtantiſſimi Italiæ Medici Phtiſicos & ſanguinem exſpuentes haud raro ad thermas ſuas relegent: In conſiderationem venit, an Badenſes iiſdem affectibus opitulentur. Si in experientia hic acquieſcendum, Badenſes thermæ dictis affectibus non cõferunt, Quantum enim hactenus obſeruare licuit, ne vnius ęgri recordor, quem iuuerint. Sin rationem intueamur, cum in phtiſi ſanguiniſque ſputo adſtrictione opus ſit, nec thermæ Badenſes ea deſtituantur, merito conferre debebant.

Reſpondeo thermas Badenſes pro balneo vſurpatas ad curationem Phtiſis aliorumque internorum viſcerum adſtrictionem requirentium, nihil conferre,

ferre,pro potu vero acceptas plurimum vtilitatis habere. At inquis,quomodo thermæ potu acceptæ ad pulmones perueniunt, an aſperam arteriam quæ ad pulmones ducit, viam conſtituis per quam potus tranſeat? Fallopius in hoc caſu exiſtimauit pluribus diebus bibendas eſſe thermas vt vis illarum ad venas pulmonis tandem perueniat. Sed pace tāti viri dixerim expeditiorem viam ad pulmones dari, aſperam nimirum arteriam; nec tamen hanc viam, potionis communem canalem ſeu tranſitum cōſtituo. Quid enim impedit quo minus inter bibendum, inprimis quando non affatim ſed paulatim bibimus, aliquid per dictam viam ad pulmones deriuetur. Hinc meo quidem iudicio eſt aqua illa in pericardio ſub pulmonibus concluſa, quæ ſi per quotidianum potum non conſeruaretur, cordis certe calore multis modis abſumeretur tota. Hinc etiam eſt quod rubrum vinum bibentes, ſputa è pulmonibus & aſpera arteria rubro colore tincta exſpuant. An non cantores potum amant? vt in prouerbio

Difficultas.

Solutio.

dicitur. Reſiccata enim aſpera arteria voci inſeruiente, vox quaſi perit, quæ poſt potum aſſumptum, humectata eadem arteria redire deprehenditur. Idem teſtantur qui ardente ſole iter faciunt quique puluerem reſpirando ad aſperam arteriam pertrahūt vt vocem quaſi amittant, quibus vox, per potum puluere abluto, humectataque aſpera arteria, manifeſte redit, certo nimirum argumento, de potu aliquid ad pulmones deriuari. Qui fit ergo, inquiat aliquis quod phtiſicorum curatio vſque adeo eſt difficilis, cum medicamentis ad pulmones tranſitus detur, tam facilis & expeditus?

An quia pulmones exulcerati quietem deſiderant, vt partium diuulſarum conſolidatio fieri poſſit, hæc ipſa vero propter perpetuam pulmonum motionem denegatur. Vrgeat prçterea aliquis excoriationem cutiſq; exulcerationem eſſe balnei comitem quaſi inſeparabilem: Ergo non minus pulmo quam cutis per thermarum potū magis exulcerabitur. Verū diuerſæ ſunt de cauſa excoriationis Medicorum ſententiæ: Nōnulli

nulli enim exiſtimant excoriationem fieri à ſale ex profundo corporis habitu ad extimam cuticulam, quaſcunq; humiditates ſuperfluas attrahēte cutemq; corrodente. Alij cum crebro ſudantes exulcerari vidiſſent, excoriationis cauſam, ſudorem dixerunt. Ego cum toties obſeruauerim tenera & delicata corpora, agreſtioribus & denſioribus magis excoriari, cogor principalem excoriationis cauſam immoderatiori thermarū calori, (de actuali loquor) imputare.

Cum enim delicata corpora maiorem ſui curam habeant, minuſque in thermas valde adhuc calidas ſe conijciant, minus etiam excoriantur. Alij qui contrarium faciunt & plures horas balneando conſumere, & intenſiorem thermarum calorem perferre ſolent & ad elixationem ferme immorantur, magis exulcerantur.

Hoc ipſum vel inde apparet quod ij qui in aqua dulci calefecta per aliquot ſeptimanas balneant, quod in multis locis eſt vſitatum, æque, & interdum vehementius excoriantur quam qui in aquis metallicis balnearunt. Mani-

feſtum

ſeſtum hinc euadit exulcerationem ſalſedini imputari haud poſſe, & per conſequens thermarum potum phtiſicis haud formidandum eſſe. Addo quod Piſani Medici thermas Montiſcatini puerulis etiam Dyſenteria laborantibus, quæ inteſtinorum eſt exulceratio, magno cum fructu propinant. Remotis igitur ijs quæ phtiſicos à potu thermarum abſterrere poſſunt, bibendarum nunc thermarum modum conſideremus.

Sciendum igitur phtiſicis minorem quantitatem & lambendo quaſi bibendam eſſe. Quicquid enim aſperam arteriam præterfluit, ſine vtilitate bibitur. Sæpius igitur & in minori quantitate ægri thermas bibant & paulatim inſtillare ſinant. Secundo, ſi deſtillationes à capite in pulmones incidant malumq; adaugeant, præmiſſis idoneis, per pilulas, purgationibus, ſtillicidio etiam ad conſumendas deſtillationum reliquias, exiccandumque deſtillationis fontem, vtendum erit. Vtrumque remedij genus continuandum, donec reſpiratio abſque tuſſi & ſanguinis exſpuitione liberior appareat.

De

De ſanguinis excretione.

ARetæus, libr. 2. cap. 2. ſanguinis quamcunque eruptionem horribilem eſſe & periculoſam ſcripſit. Eſt enim ſanguis naturæ theſaurus & natiui caloris fomes. Vidēdum igitur an thermæ horribili huic malo opem aliquam ferant. Cum vero ſine cauſarum cognitione hoc fieri nequeat, diuerſas cauſas breuiter conſideremus, neceſſe eſt.

Excernitur autem ſanguis vel propter tenuitatem & aquoſitatem, oſcula venarum tranſiens, vel propter acrimoniam eadem exulcerans, vel denique propter copiam venas diſtendens & aperiens. Ad primam igitur excreti ſanguinis cauſam thermæ tam potu quam balneo, exiccando conſumendoq; ſuperfluam ſanguinis ſeroſitatem, ipſumque ſanguinem incraſſando & ſudorem largiter eliciendo, vtiliter adminiſtrantur. In reliquis caſibus nec proſunt nec obſunt. Recordor autem hoc loco Ianij Landauienſis, qui propter frequen-

tiſſimas ſanguinis ſeroſioris è naribus excretiones, hydropicus fieri & intumeſcere incipiebat. Is cum ſolius tumidi ventris cauſa ad thermas Salmonis veniret ab vtroq; malo liberatus fuit.

De Tuſſi.

TVſſis vt varias habet cauſas ſic, varia & diuerſa remedia expoſtulat. Quæ ab intemperie calida vel acri deſtillatione excitatur, ad thermas idonea non eſt. Quæ vero à frigida vel humida intemperie ſiue cerebri ſiue partium ſpiritalium generatur, ea feliciter curabitur, ſi thermarum potum, ſtillicidium & balneum ſupra pectus adhibueris.

De ventriculi affectibus.

QVanquam ventriculus propter inſitum aliquem calorem cibũ appetere eumque rite concoquere, vulgo putetur: exiſtimo tamen potius occultam ventriculi proprietatem, quam calorem imaginatione conceptum appetitus & concoctionis autorem eſſe. Cum enim videamus minutiſſimas aues ſoli-

diſſi-

diſſima quæque grana quandoq; etiam ſilices deuorare & concoquere, quos ne eo quidem, licet centuplo calidiorem ſtomachũ habeat, concoquat, ad occultã certe ventriculorum proprietatem confugere cogimur. Addo quod omnes partes membranoſæ, cuiuſmodi eſt vẽtriculus, frigidæ potius quam calidæ, ſi primas qualitates reſpiciamus, omnium medicorum iudicio cẽſentur. Attamen quotidiana praxis teſtatur ventriculum immodica frigiditate & humiditate vſque adeo corrumpi vt nec cibum appetere nec concoquere poſſit. Hinc læſa prima concoctione, quamplurima alia incommoda conſequuntur. Hinc inappetentia difficilique concoctione laborantes abſque conſilio & iudicio, indifferenter, diſſimili etiam ſucceſſu ad thermas confugiunt. Notandum igitur ſolum balneum, frigidum & impurum ventriculum non reſtituere, ſed interdum graues dolores ventriſq; diſtenſiones accerſere. Quapropter præmiſſa humorũ præparatione & generali totius corporis purgatione, ad thermas demum accedendum, iiſque non modo

pro

pro balneo ſed potu etiam vtendum. Hac ratione reſiduæ cruditates potu thermarum abluentur & ventriculus moderata adſtrictione roborabitur; ne deinceps accumulandis nouis cruditatibus ſit idoneus. Nec vero ab incepto thermarum vſu deterreantur ægri, quãdo prima vel ſecunda ſeptimana, non ſolum priſtinam infirmitatem adhuc ſentiunt, ſed maiorem adhuc inappetentiam, nauſeam, vomitum ventriculique languorem percipiunt. Inſtante enim excoriatione omnia in peiori ſtatu eſſe putantur, finita autem excoriatione contractiſque balneandi horis, in meliorem ſtatum reducuntur. Hocidem in magnis curationibus per Guiaci decoctum vel ſimilem medicinam inſtitutis, cum inani ægrorum timore & deſperatione fieri experimur. Quod ſi deſtillationes è capite in ventriculum procumbentes, malum adaugeant, ſtillicidium ſupra caput non negligendum.

Cæterum quamuis thermæ inappetentem debilemque ventriculum corrigant, vſum tamen acidularum, quæ

Badenam importantur, negligere nolim. Singularem enim prærogatiuam, appetitum excitando, vẽtriculum confortando, vomitumque compeſcendo obtinent. Acidularum prærogatiua.

Quando vero ſingultus, ructus, ventriculi inflationes & diſtenſiones moleſtiam faceſſunt, relictis acidulis, thermæ præferantur. Incidit autem hoc loco quæſtio, an frigido exiſtente ventriculo, Epate vero calido, thermæ ſint vſurpandæ. Quæſtio. Pro ſolutione huius difficultatis dicunt nonnulli licitum eſſe thermarum vſum, hac moderatione adhibita, vt per externa medicamenta refrigerantia epati proſpiciatur. Solutio. Hinc ante ingreſſum & poſt egreſſum inunctionibus ex vng. Roſ. vel Emplaſtro Santalino vel ſimilibus vtuntur. Alij herbas refrigerantes ſacculo incluſas ſupra Epatis regionem ponendas, & quamdiu ægri in balneo morantur, detinendas, ſatis inepte conſulunt. Ego iſtius viſceris curam habendam eſſe arbitror, cuius intemperies magis vrget: Quod ſi Epar magis in caloris exceſſu, quam ventritriculus in eiuſdem caloris defectu pec-

cet omnino à thermis abſtinendum, alijſq; remedijs ventriculo ſuccurrendũ. Sin contrarium fiat, thermis vtendum, interim Epati potius acidularum potu, quam prædictis remedijs proſpiciendũ. Quod ſi tamen æger in ipſo etiam balneo externum aliquod refrigerium deſideret, is laminam plumbeam diu in aceto maceratam ſupra Epatis regionem detineat.

De Colica paſſione.

CVm inteſtina inſtar ſentinæ ſint totius corporis, grauiſſimorũ ſępe morborum cauſas accumulant. Inter alios vero inteſtinorum morbos frequẽtiſſimus & intolerabilis eſt colica paſſio: quæ cum diuturna eſſe ſoleat, in qua ægri potius balneare, quàm medicamentorum vſum continuare volunt, fit vt frequenter ad thermas confugiant. Diuerſæ autem & pugnantes ſunt medicorum ſententię: an Colica paſſio per thermas curari poſſit. Plerique Medici inter quos eſt Riuius, colica paſſione laborantibus thermas ſuadent.

Hiſce

Hiſce inter alios ſe opponit Paracelſus, qui nominatim thermas Badenſes, Ferinas, & Cellenſes colicæ paſſioni nihil vel parum prodeſſe aſſerit.

Sed pace horum omnium dixerim, tam eos in errore verſari qui indifferenter Colica laborantes ad thermas ablegant, quam qui thermarum Badenſium vires in curāda Colica extenuant. Quis enim rerum medicarum adeo rudis qui diuerſas Colicæ paſſionis cauſas ignoret, vel earum in curatione inſtituenda nullam rationem habendam eſſe putet? Conſtat enim colicam paſſionem interdum fieri ab acri & biloſo humore, interdum ab inflammatione, vel nimia excrementorum ariditate: In quibus caſibus nemo felici cum ſucceſſu thermas Badenſes vſurpabit. Siue enim inſideat duntaxat ſiue bibat, ſiue vtrumque faciat ſimul, feruorem bilis, inflammationem & ariditatem excrementorum augebit.

Colica vero, quæ à frigido & phlegmatico humore inteſtinorum anfractibus tenaciſſime adhęrente excitatur, quæ & frequentiſſima eſt, & inte-

ſtina diſtendo mirificè torquet, recto thermarum vſu feliciſſimè curatur. Nec etiam cum ijs ſentire poſſum, qui fatentur quidem huiuſmodi colicam à crudo phlegmate ortam per thermas curari, ſed tamen ità, ne nimis cito vel recenti adhuc colica exiſtente, propter metum futuræ paralyſis vſurpentur. Quàm autem metus iſte vanus ſit, non ſolum firmiſſimis rationibus ſed fidiſſima quoque experientia docere poſſum. Verum quidem eſt colica laborantes ſi adſtricta aluo in thermas inſideant, vel eaſdem, non emollitis per clyſteres excrementis, bibant, paralyſin difficulter effugere: quis autem propter abuſum thermarum, rectum illarum vſum intermittat? Idem profecto thermis hac in parte imputatur quod clyſteribus ab ignara plebecula imputari ſolet. Quando enim clyſteres in colica paſſione ad extremū differuntur nec tempeſtiuè vſurpantur, cauſa paralyſis, quæ partim ex ſua natura, partim propter neglectos clyſteres ſuperuenit, clyſteribus immerito aſſcribitur, cum tamen viginti videre liceat ex colica paralyticos abſque clyſteribus

factos,

factos, vix vno exiſtente qui tempeſtiue admiſſis clyſteribus factus ſit paralyticus. Monitos equidem & rogatos velim ægros, ne ea ſpe ad thermas confugiant quaſi abſque vllo artis medicæ & clyſterum ſubſidio à grauiſſimis doloribus colicis, ſolo balneo liberari poſſint.

Qui inanem hanc perſuaſionem cõceperunt, thermas fugiant, ne, quod plerunque fieri ſolet, curatione infeliciter procedente, maloque adaucto omnem culpam ſine ratione & iudicio in thermas conferant, quæ ipſorum potius ſtultitiæ debetur. Cui vero propria ſalus curæ eſt, nec artis vſum reſpuit, intrepide ad thermas ſe conferat. At inquis ſi medicamentis eſt vtendum, maiori commoditate domi quiſque ſuæ, quam in thermis vti ijs poterit. At vero faciliori via & minori cum moleſtia in thermis quam ſine thermis colica curabitur.

Domi requiruntur tot apozemata, purgationes, clyſteres, vnguenta, emplaſtra, anodyna interdum narcotica, confortantia, calefacientia, flatus diſcu-

tientia, ſomnum prouocantia aliaque ſimilia: Hæc autem omnia tibi ſuppeditat rectus thermarum vſus.

Poſito enim quod aluus ſit adſtricta, ſoluatur clyſtere ex thermarum aqua, oleo aliquo addito & electuario purgante. Soluta iam aluo balneare thermaſque bibere licet, quemadmodum in generali tractatione dictum eſt.

Hinc inteſtina per hauſtum thermarum à mucoſis humoribus abluentur, aluus aperta ſeruabitur, dolor conquieſcet, ſomnus facile obrepet aliaque ſymptomata remittent. Quod ſi hauſtus prima vice ſubſtiterit, non ſubſiſtet altera vel tertia vice.

Inſtas, multos te vidiſſe qui poſt thermas derepente facti ſunt paralytici. At ego plures vidi qui paralytici facti non ſunt. Inter rectum igitur & præpoſterum vſum diſtinguendum. Deinde concedo aliquid ad paralyſin contuliſſe balnea aquæ dulcis vel etiam ſulphuris multum habentia.

Eiuſmodi enim balnea autore Oribaſio lib. 1. cap. 29. articulos relaxant, neruos emolliunt & reſoluunt. Cum

vero

vero Badenſia balnea multum ſalis & aluminis habeant, articulos roborant & neruos ita confirmant, vt humorum affluxionibus melius reſiſtant.

Omiſſis autem rationibus ad emperiam me confero & analogiſmum. Scribæ Hattenſis vxor iuuencula in recenti colico dolore, feliciter vtebatur thermis in Gryphone. Dominus Guilhelmus ſacerdos Acharacenſis in recenti & grauiſſima colica paſſione, cum alijs ſymptomatibus, pari felicitate reſtitutus in Ungemach / Sacerdos Dieffenbron̄enſis in Gryphone. Domini Stimmeri præfecti Acharacenſis vidua: D. Grammerus Medicus: Poligram Mateus Lauterburgicus alijque plures ſimili cum fructu abſque vlla paralyſi thermis vſi & reſtituti fuerunt.

De Fluxionibus alui.

QVemadmodum roſæ, abſinthium rhabarbarũ aliaq; non pauca ſimplicia medicamenta non ſolum aperiendi & relaxandi,, ſed etiam obſtruendi & conſtipandi facultatem habent: ſic

multo magis medicamenta, quæ ex varijs & diuerſis ſimplicibus componuntur, diuerſas operationes præſtare poſſunt. Mirum ergo non videatur, ſi thermas Badenſes bibitas, aluum in colicis doloribus ſoluere, eandemque in fluxionibus & inteſtinorum læuitatibus cõſtringere & cohibere dixero. In diuturnis igitur Diarrhæis & inteſtinorum mucoſorum læuitatibus, detergendo & cõſtringendo præclare operantur thermæ Badenſes. Ann. 1604. ex Ducatu VVirtembergico, fœmina paupercula ad thermas ducebatur, cui per aliquot annos alui & veſicæ excrementa inſenſibiliter effluebant, cumque per aliquot dies in Salmone fruſtra balneaſſet, iamque deſperans abitum pararet, meo conſilio thermas ſimul bibere & conualeſcere cœpit. Alia quædam Catharina à Medico Eſlingenſi huc miſſa, cibum nihil alteratum per aluum egerebat, vtebatur autem ſolo balneo & ſequenti Electuario.

℞. *Rad. Tormentil.*
Serpentar.
Sem. Berberor.

Vua-

Vuarum an. ℈ j.
Nuc. Muſc.
Galang. an. ℈ l.
Conſ. Roſ. rub. antiq.
Mentæ an. ℥ j.

Cum Syr. Cydon. fiat mixtura. Verum cum parum auxilij perciperet. tandem feliciter thermarum potu vſa eſt.

Dyſentericum fluxum quod attinet, quamuis Fallopius in eo thermarum ſuarum vſum præcipiat, & Narbonenſis fons propter argillam in curanda Dyſenteria à Ranzio commendetur, noſtras tamen thermas in tali caſu nec ſuaſi nec vſurpatas ab alijs vidi.

Eſt enim Dyſenteria ex acutorum morborum genere, quos Oribaſ. à thermis arcendos monebat.

De affectibus Epatis.

INter alios Epatis affectus qui thermarum curationi committuntur, nō eſt poſtremus Hydrops. Sauonarola etiam thermas Aponitanas Hydropicis frequenter commendaſſe legitur: Nec etiam paucos noui Medicos qui Hydro- Hydrops.

 picos

picos ad haſce thermas miſerunt. Hippocrates tamen lib. 5. text. 9. contrarium ſentire videtur. Refert enim hominem Athenienſem moleſtiſſimo pruritu laborantem ad Melum ſe contuliſſe, vbi thermæ erant, quarum quidem beneficio pruritus ſedatus, hydropicus vero factus obierit. Galenus etiam lib. 1. ſimp. cap. 8. poſt calidarum aquarum vſum, natiuum calorem inſigniter tranſpirare, & corpus conſequenter refrigerari tradidit.

Verum cum diuerſæ ſint Hydropis ſpecies earumque diuerſæ cauſæ, mirum non eſt Hydropicos indifferenter ad thermas confluentes diſſimiles effectus experiri.

Hydropis ſpecies. Stephanus autem Athen. quinq; Hydropis ſpecies: Aretæus quatuor: Nos cum Galeno tres Hydropis ſpecies, omiſſa particulari vteri aliarumque partium hydrope, Anaſarcam nimirum Tympaniam & Aſcitem earumque cauſas cum thermarum facultate conſiderabimus. Anaſarca quæ dicitur, Cachexiæ ſoboles eſt, ex ſanguine, propter frigidam epatis intemperiem, non ſatis elabo-

laborato, ſed crudo & aquoſo prouenientstotumq; corporis habitum intumeſcere faciens. Quod ſi Epar maiorem frigiditatem contraxerit iam non amplius crudum ſanguinem ſed flatuum copiam generat & Tympaniam, ſecundã hydropis ſpeciem producit. Sin ad extremum frigiditatis gradum peruenerit, meram aquam & ſic Aſcitem tertiam hydropis ſpeciem gignit.

Quandoq; poſt immoderatas ſanguinis profuſiones, Hydrops paulatim generatur. Interdum ab obſtructionibus & Scirrhis Epatis, natiuum eius calorem ſuffocantibus Hydrops generatur, vnde diuerſæ Hidropis ſpecies, pro vt calor magis minuſue patitur, producuntur.

Hydrops igitur qui ex ſimplici Epatis intemperie frigida generatur, ſine dubio legitimo thermarum Badenſium vſu curatur, niſi diuturnitate mali Epatis ſubſtantia corrupta ſit.

Badenſes ſiquidem thermæ non ſolum calefaciunt Epar, ſed inſigni etiam ſalis, aluminis & calcarij lapidis vi exiccatoria, ſuperfluam aquoſi-

tatem

tatem conſumunt. Hinc eſt quod veteres Medici interdum aquas marinas, ſalitas nimirum, interdum maris arenam commendabant, vt ægri in ipſa quaſi ſepelirentur.

Sic Hydrops factus ab aquæ frigidæ potu, vel immoderata ſanguinis profuſione Epatis calorem deſtruente, eaſdem ob cauſas thermis curatur. Qui vero ab Epatis vel Lienis ſcirrho inueterato præſertim factus eſt, vix ac ne vix quidem curabitur: primum quia vis thermarum ſola inſeſſione propter tumidum & inflatum corporis habitum ad Epar penetrare nequit: Deinde quia, pro potu propter excedentium minerarum adſtingentium admixtionem, thermæ ſatis tuto propinari haud poſſunt. Quapropter nec cum Sauonarola hydropici indifferēter ad thermas relegandi nec citato Hippocratis loco deterrendi.

Hippocrates enim de ægro deſperato, loquitur, qui abſq; conſilio ad thermas confugerat. Galenus autem non ſolum de immoderato aquæ calidæ vſu, ſed de aqua dulci calefacta tractat, quæ licet ipſa

ipſo actu calefaciat, potentia tamen refrigerat. Cum vero thermæ tam potentia quam actu calefaciant & ſuperfluas humiditates exſiccent, cum præallegato Galeni loco comparari nequeunt. Hydropici ergo aliquem thermarum fructum percepturi tempeſtiue malo occurrant, nec pro balneo ſolum, ſed pro potu etiam medicato, abſente tamen ſcirrho, horis matutinis, quemadmodum in generali tractatione dictum eſt, thermas aſſumant. Interim certis interuallis non ſolum per aluum, ſed etiam per veſicam excedens aquoſitas euacuanda. Quin imo cum humores aquoſi per medicamenta purgantia difficilime euacuentur, renes autem à natura facti ſint, vt ſanguinem ab aquoſitate repurgent, potius diureticis quam purgantibus pharmacis vtendum. Interim diligenter obſeruandum vt vrinæ quantitatem aſſumpti potus ſuperent vel ad minimum iuſtam proportionem cum ijs habeant. Cæterum præter balneum & potum thermarum, laconicum etiam ſi vllo in morbo certe in Hydrope plurimum vtilitatis adfert. Quoniam

am vero laconica deſunt, maiori cura enitendum vt poſt hauſtum thermarum matutino tempore factum, Hydropici in lecto copioſius ſudent. Sin ſudor minus procedat, nec venter quatuordecim dierum ſpacio detumeſcere incipiat, à thermis omnino abſtinendũ. Inter alios hydropicos qui thermis reſtituti fuerunt, ſuccurrit vxor paſtoris in Bulach quæ Aſcitæ periculoſe laborabat: Item vxor barbitonſoris in Gengebach. Præterea mercator Marggruningenſis Anaſarca laborans, licet crus haberet exulceratum, nihil tamen feroſitatis effluebat, curabatur autem per thermas in Ungemach. Ibidem à Cachexia liberabatur nobilis fœmina Sternefelſia, ſoror item nobilis ab Hirſchberg. Crura autem ædematoſa hydropis ſpeciem præſeferentia, ſolo thermarum balneo, feliciſſime ſemper præſanata vidi.

Ex horum numero fuit nobilis dominus Bur præfectus VVerttenſis: Monachus item Auguſtini ordinis in Ochſenhauſen: Inſpector in VVisloch aliique plures.

De

De affectibus Lienis.

ACtuar. lib. 1. meth. cap. 11. Lienem iiſdem affectibus cum Epate laborare ſcriptũ reliquit. Hinc thermarum effectus non minus in frigida lienis quam epatis intemperie experiundus, potiſſimum vero quando propter infirmitatem humorem melancholicum probe conficere nequit, ſed magnã flatuum copiam generat, qui propter varias compunctiones grauiſſima quãdoq; animi deliquia cordiſque palpitationes pariunt. Iidem flatus ad cerebrum mentis domicilium delati, magnas perturbationes, timorem, tremorem & frequentes ſudores frigidos in ceruice & fronte potiſſimum erumpentes, cum ſingulari ægrotantium deſperatione pariunt.

In hoc caſu multum præſtant thermæ, ſi acedularum vſus ſimul accedat. Quod ſi acidulæ ſolæ bibantur, obſtructiones quidem, ſi quæ ſunt in liene, ſoluuntur, flatus tamen non diſſipantur ſed quandoque augentur. Eodemque modo ſi pro ſolo

bal-

balneo vſurpentur thermæ (pro potu enim vix conferunt) flatus quidem diſſipabuntur, frigida quoque intemperies alterabitur, metuendum tamen ne immodica exiccatione, obſtructiones & ſcirrhi confirmentur. Nec ijs aſſentior, qui indifferenter omnes ſpleneticos ad acidos fontes mittunt, ijſque pro potu & balneo vtendum eſſe conſulunt.

Acidularũ vis coctione exhalat.

Doceri equidem à Medicis iſtis velim, quas vires acidulis igne calefactis & coctis remanere putent. Cum enim vis illarum in ſpiritibus minerarum potiſſimum conſiſtat; eaque per ebullitionem (tegant etiam & muniant cacabũ, vtcunque volunt) euaporando diſſipetur: non video quas vires poſt ebullitionem acidulæ reſeruent. In vino certe cocto priſtinas vini vires haud reperio. Idem in thermarum aqua refrigerata iterumque cocta expertus ſum. Sunt opinor Schvvalbacenſes acidulæ in tota Germania famoſiſſimæ, ebullitionem tamen non ſuſtinent, ſed pro ſolo potu vſurpantur. Idem de alijs conſtat: vt ignorem quo autore, vel fato Grysbacenſes & aliæ nonnullæ coqui cœpe-

cœperint. Quapropter in lienis infirmitate & flatuum copia thermarum balneum & acidulæ quæ importantur, præmiſſis vniuerſalibus purgationibus, ijſdemq; per interualla repetitis, nō ſeparatim ſed coniunctim vtiliter vſurpantur.

Denique cum contumaces ſint lienis morbi, conſulo vt extra balneum, cū primis nocturno tempore, lutum thermale cataplaſmatis loco ſupra lienis regionem imponatur. Quod ſi lutum recens in copia haberi nequeat, illud quod exiccatum reſeruatur, cum aqua thermarum ad cataplaſmatis formam reducendum, imponendum & ſuperimpoſita culcitra calide ſeruandum. Hunc in modum nundinator quidam Spirenſis monoculus in Gryphone: & honeſtiſſima matrona Auguſtana Herzleriana in Vngemach abſq; luto tamen, à diuturna lienis paſſione liberata fuit.

De affectibus Renum & Veſicæ.

QVamuis thermæ nonnullæ ad calculum commendentur, ne pauci

ad thermas Badenſes, inani fiducia freti, confugiant, nullius tamen recordor qui cum fructu ijs vſus fuiſſet.

Balneum enim quod attinet, ſolo calore & fomentatione, dolorem quidem demulcet, ad calculi tamen expulſionē nihil facit. Potum vero thermarum nemo ſanæ mentis commendabit. Exulceratis autē & purulentis renibus, nullo in ijs exiſtente calculo, non quidem pro balneo ſed pro potu vſurpatas, haud raro profuiſſe vidi. Salis enim beneficio purulenta materia detergetur, ſulphuris vero & lapidis calcarij ratione, partes exulceratæ conſolidantur. Nec acrimoniam quis vereatur quæ nulla adeſt. Sanantur enim infinita vlcera externa harum thermarum beneficio abſque vlla mordacitate, quæ nullis chirurgorum emplaſtris ſanari potuerunt.

Harum thermarum potu à diuturna renum exulceratione curatus fuit ſtrenuus & Nobiliſſimus à VVildung Illuſtriſſimi Marchionis Badenſis Mareſchalcus. Abſque fructu autem diſceſſit caupo VVeinheimenſis, qui potum balneo coniungere recuſabat.

Cæte-

Cæterum qui propter veſicæ frigiditatem laxitatem vel etiam muſculi reſolutionem vrinam retinere nequeunt, præclarum auxilium è thermarum potu & balneo percipiunt. Idem auxilium percipiunt mulieres, quibus in difficili partu vel ab imperita aliqua obſtetrice veſicæ ceruix aut muſculus ſauciatus fuit. Incontinētia vrinæ.

Enitendum vero huiuſmodi mulieribus vt pręter balneum & potum, thermas etiam ad veſicę ceruicem, quantum poſſunt, in ipſo balneo impellant eamque diu foueant.

De affectibus vteri.

Reſtant vteri affectus, quibus thermæ Badenſes conſecratę videntur. Inter alias autem vteri affectiones, prima eſt vteri intemperies frigida, eaque vel ſimplex vel compoſita, cum materia coniuncta vel ſine materia. Hinc menſtruorum ſuppreſſio vel immoderata illorum fluxio: albus item fœminarum fluxus, dolor, ſterilitas & ſimilia mala emergunt.

Simplicem vteri intemperiē frigidā quod attinet per balneum potiſſimum Simplex vteri intemperies.

abſque potu, abſque ſudore vel luto curatur, omnibuſque emplaſtris vterinis merito præfertur.

Intemperies vteri comp.

Si humiditas ſuperflua frigiditati cõiuncta ſit, quæ diuturnam frigiditatem fere comitari ſolet, poſt conuenientes purgationes, non ſolum balneandum, ſed thermarum etiam aqua ad eluendas vteri ſordes, & ſuperfluas humiditates ad ipſum quaſi ad ſentinam confluentes, bibenda erit. Nec operoſius hic inquirendum cenſeo, an & quomodo potus ad vterum perueniat.

Sufficit enim nobis fidiſſima experientia, cui qui aliquo contentionis ſtudio vel friuola ratione adducta repugnare nititur, is edoceat nos cur in ſimilibus caſibus Guajaci decoctum præſcribatur? Item cur in calida vteri intemperie aquam coctam vino præferamus?

Quapropter vtero exiſtente nimium humido & excrementicio, exiccantium thermarum potus minime negligendus. Sibi interim ſapiant qui nimium ſapiunt.

Menſtrua.

Verum enimuero maiorem dubitandi &

di &

di & contendendi occaſionem præbent menſtrua.

Cum enim thermæ tam in fluxu menſtruorum immodico quam eorundem ſuppreſſione vſurpentur, quæritur an vna & eadem medicina contrarios effectus edere poſſit? Ad hanc difficultatem cum ſupra aliquid ſit reſponſum, hoc loco illud ſaltem adijciendum: Cõtrarios morbos ſæpe ab vna & eadem cauſa fieri. Sic vteri frigiditas venarum orificia occludit, vt periodica menſtruorum fluxio impediatur. Interdum eadem frigiditas vterum plane debilitat, vt ſanguinem menſtruum nec ad naturalem terminum retineat, nec in moderata ſed immoderata quantitate excernat. In huiuſmodi igitur caſibus potius ad cauſas quam effectus. qui ſæpe ſunt contrarij, reſpiciendum. Interim notandum in ſuppreſſione menſtruorum ſolo balneo: In fluxu autẽ immodico & fluore albo, præter balneum potu etiam vtendum eſſe.

Dolor vero vteri ſi ob intemperiem humidam vel frigidam, vel flatuum copiam, vel menſtruorum ſuppreſſionem Vteri dolor.

generetur, ex præcedentibus quid faciendum vel ſperandum ſit, apparebit. Sin propter ſolutionem aliquam continui fiat; per iniectiones thermarum curatio inſtituenda.

Sterilitas.

Cęterum cum de ſterilitate per vſum thermarum remouenda aliquid dicendum ſit, ſuccurrit mihi quod Iohannes Langius sereniſſimi Electoris Palatini clariſſimus aliquando Medicus ſcriptum reliquit. Medicos inquit, vromantes domi deſides ex lotij inſpectione omnem ſterilitatis cauſam in frigidam & humidam vteri intemperiem conferre, atq; vt à labore curandi ſe expediant ad ſolas thermas tanquam ad ſacram anchoram miſeras fœminas relegare experimur, quos vtinam Thracię mulieres, vt Orpheum lapidibus obruiſſent aut fuſtibus enecaſſent. Sterilitatis enim cauſa non minus viris quam fœminis communis eſt, vt dubium non ſit quin miſeræ fœminæ abſque cauſa medicamentis ſæpe moleſtentur.

Sterilitatis cauſæ variæ.

Ne igitur doctiſſimi viri imprecatio nos quoq; tangat, diuerſas ſterilitatis cauſas inueſtigare opus eſt, vt ex cauſa-

rum

rum cognitione innoteſcat quando & quomodo fœminis vel viris thermæ conueniant.

Cum autem Sterilitas proprie ad vterum referatur vtpote cuius officium ſit concipere, æquum eſt, vt primum ipſum vterum tanquam præcipuum cõceptionis inſtrumentum aliaque organa conceptioni & procreationi famulantia conſideremus, quatenus ſcilicet conceptricem facultatem per ſe impediant & ſterilitatem efficiant. Deinde externa impedimenta quæ conceptricem facultatem remorantur, exponamus.

De ipſo vtero ſcribit Auer. 6. col. Vterum omni morborum genere laborare & ad concipiendum procreandumq; ineptum fieri poſſe.

Primum morbi genus attingit Gal. aph. 26. ſect. 5 Mulier inquit temperatum vterum habens, fœcunda eſt. Hinc ergo ex contrario ſenſu ſequitur non modo frigidam vel humidam vteri intemperiem (quæ erronea eſt multorum perſuaſio) ſed calidam etiam vel ſiccam, ſimplicem **Intemperies vteri.**

vel compoſitam, cum materia vel ſine materia exiſtentem, ſterilitatis cauſam eſſe. De ſecundo morbi genere inſtrumentario ſcilicet loquitur Hipp. aph. 62. ſect. 5. Quæ denſos habent vteros inquit, non concipiunt. Semen enim licet prolificum in talem vterum eiaculetur, ſuffocari neceſſe eſt. Aliud inſtrumenti vitium ponit idem Hipp. in lib. de Sterilib. quando ſcilicet interna vteri ſuperficies non eſt aſpera ſed læuis vnde ſemen in vtero contineri nequit, ſed effunditur, & conceptio impeditur. Huiuſmodi læuitas vel eſt naturalis vel accidentalis. Naturalis quæ à primo ortu ſic facta. Accidentalis quæ poſt cicatricem aliquam in vtero relicta eſt. Ad vitioſam vteri conformationem pertinent etiam vitia in meatu vteri exiſtentia, cuiuſmodi ſunt vel immodicus hiatus, vel nimia compreſſio & adſtrictio. Huc referatur vitioſus vteri poſitus.

Denſitas vteri.

Læuitas vteri.

Hiatus & compreſſio vteri.

Quando enim vterus vel ſurſum vel deorſum fertur, vel in alterutrum latus inclinat, concipere nequit.

Non naturalis vteri ſitus.

Tertium denique morbi genus vnitatis nimirum ſolutio in vtero, vel ab humo-

Vnitatis ſolutio,

humoribus exulcerantibus & putreſcentibus, vel ab externo aliquo inſtrumento contundente vel perforante facta, omnem conceptionem impedit.

Externæ vero cauſæ, quæ conceptionem vteri impediunt variæ ſunt. Quæcunque enim mulieres nimium ſunt macilentæ ad conceptionem ſunt ineptæ, inquit Hipp. aph. 44. ſect. 5. Externæ cauſæ.

Sic quæ præter naturam craſſæ ſunt non concipiunt, vt inquit idem Hipp. aph. 46. præpingues etiam mulieres propter nimiam pinguedinis molem fœtum ſuffocantem, plerunque ſteriles ſunt.

Viros quod attinet extat de iis Hipp. aph. 63. Par inquit eſt de maribus ratio. Aut enim ob corporis raritatem ſpiritus diſſipantur, vt ſemen eiaculari nequeat, vel propter denſitatem humor foras non proſilit, aut propter frigiditatem non incenditur, vt eo loci coaceruari poſſit: vel propter caliditatem idē accidit. Quamuis autem Galenus hunc aph: ſpurium & ſuppoſiticium eſſe putat, ratione tamen & experientia conſtat, viros propter eaſdem cauſas con-

cepti-

ceptionem impedire. Quicunq; enim nimia teſticulorum frigiditate laborāt, ad generationem ineptos eſſe ipſa iura docent. Sic qui nimium ſunt calidi vel humidi vel ſicci, vel inſtrumenta habent in forma, magnitudine vel numero vitioſa, quique vnitatis ſolutionem vel caſtrationem, vel aliquam in calculi exſectione vaſorum ſpermaticorum læſionem paſſi ſunt, ad conceptionem impedimentum adferunt.

Ad externas denique ſterilitatis cauſas refero, quando alterius coniugis ſemen propter caliditatem vel alias externas cauſas nimis cito, alterius vero nimis tarde in vterum conijcitur. Niſi enim ſemina ſimul concurrant & commiſceantur, conceptionem fruſtrari certum eſt. Hiſce breuiter ſic cōſtitutis, primum apparet ſterilitatis cauſam non ſemper fœminis ſed viris interdum imputari.

Deinde vitia in conformatione, magnitudine ſcilicet, figura, numero, vnitatis quoq; ſolutione, thermarum vſu nullo modo curari vel emendari poſſe.

Ex-

Excipio tamen impotentiam erigendi penem ad figuræ vitium pertinentē, quæ ſi ab aliqua humorali materia fiat, vt in paralyſi thermis curari & firmari poterit. Morbos autem in intemperie poſitos quod attinet, nec calida intemperies ſimplex nec compoſita, nec cum humoris calidi affluxu, thermas ferre poterit. Reſtat igitur ſterilitatem factā ab intemperie ſola frigida, vel ſola humida, vel ex frigida & humida compoſitam, decenti thermarum vſu curationem admittere. Decens autem thermarum vſus eſt, quando non ſolum pro balneo ſed pro potu etiam medicato vſurpantur. Iam ſi fœminas recenſere vellem, quę ob frigidam & humidam vteri intemperiem (ſunt enim plerunque iſtæ duæ intemperies coniunctæ) ſteriles fuerunt, thermarum vero Badenſium vſu fœcunditatem ſunt adeptæ, longus & forſan ipſis fœminis ingratus catalogus ſcribendus mihi foret.

De Externis affectibus.

CONſideratis omnibus internarum par-

partium affectibus præter naturam, qui thermarum Badenſium vſu curantur, breuiter etiam externos corporis morbos, qui earundem thermarum ope curantur, conſiderabimus.

Arthritis. Primum autem occurrit Arthritis, quæ cum omnium Medicorum vnanimi conſenſu ab humore aliquo frigido in capite redundante & ad articulos ꝓcumbente generetur, thermæ vero exiccando & calefaciendo redundantes quoſuis humores & catarrhos conſumant, relaxatos etiam articulos roborent & confirment, adeoque non ſolum membrum humorum influxum mandans, ſed etiam membra affluxum recipientia reſtituant, non eſt de felici Arthriticorum per thermas curatione dubitandum.

De biloſa autem Arthritide tenue meum iudicium ſuſpendo. Multum enim nec immerito dubito, an à biloſo humore Arthritis generari poſſit. Poſito enim materiam generantem Arthritidem ex capite in ſubiectos articulos deſtillare, id quod omnes Medici fatentur, non video quomodo bilis abſque

phre-

phrenitide vel mania vel alio grauiſſimo capitis ſymptomate ſurſum ferri deinde in articulos deſtillare poſſit. Extat quidem locus Hippocratis aph. 28. ſect. 4. Suppreſſo alui fluxublioſo, bilem in caput raptam eſſe, ſed non abſq; ſurditate. Sic in febribus materia bilioſa ſæpe ad caput transfertur, ſed non abſq; delirijs, doloribus alijſque ſymptomatibus, tranſlationem iſtam atteſtantibus. Cum vero podagrici quotquot adhuc noui ab eiuſmodi ſymptomatibus ſint immunes, vix credo Arthritidem à bile fieri. Nec me mouet partis affectæ rubor, quem non bilis calor ſed partis dolor excitat. Multo minus imperita calidorum medicamentorum applicatio me mouet, quæ ſi dolorem auget à bile fieri dictitant: Cum tamen in frigidiſſima etiam podagra, calida medicamenta externe impoſita materiam frigidam in flatus quandoq; reſoluendo, dolorem exaſperent. Vt vt ſit, thermæ Arthritidi ab humore frigido factæ maxime conueniunt. Cum autem graue & contumax malum ſit Arthritis, res ipſa flagitat, vt non vno ſed omnibus modis

modis thermæ vſurpentur. Primum igitur præmiſſis purgationibus & venæ ſectione, ſi quæ eſt neceſſaria, per octiduum ſolo balneo vtendum, inſequentibus octo diebus & balneandum & de thermis bibendum. Exactis ſic diebus quatuordecim vel ſedecim, pro potu ſtillicidium per dies decem circiter vſurpandum & frequenter ſimul ſudandum. Poſtrema ſeptimana ſi vel infirmitas aliqua vel tumor in articulis reſtet, nocturno tempore lutum thermale cataplaſmatis vice applicandum, vt materia adhuc impacta diſcutiatur parteſq; affici conſuetæ roborentur.

An balneandum in paroxyſmo.

Incidit autem hic quæſtio quid ſit faciendũ ſi podagricus aliquis in vſu thermarum conſueto paroxyſmo tentetur. Ad hanc quæſtionem caupones ineptã iterant cantilenam, omnia ſcilicet accidentia in thermis facta, thermarum cõtinuatione curari. Sed miſere decipiuntur & decipiunt alios diſtinguere, neſcientes inter ea accidentia quæ immediate à thermis fiunt, cuiuſmodi eſt excoriatio, & ea, quæ mediante interna aliqua vitioſa diſpoſitione, thermarum agi-

agitatione in actum erumpunt. In tali igitur caſu ſic procedendum. Si certis coniecturis conſtet corpus pro neceſſitate purgatum eſſe, & patientis vires ferant, ad thermas deduci poterit. Sin neceſſaria euacuatio ante thermarum vſum fuit neglecta vel etiam certis ſignis repletio capitis viriumque infirmitas animaduertatur, citra periculum in thermas deduci non poteſt.

Cæterum inter alios podagricos ſingularem thermarum vtilitatem mihi prædicauit quidam Heidelbergenſis, ordinis ſenatorij, aliquando caupo ad ceruum, affirmans ſe poſt thermarum Badenſium vſum per triennium à podagra immunem eſſe.

Idem narrauit mihi nobiliſſimus Iohan Friderich à Landſchad. Dominus VVetzelius etiã poligrammateus Durlacenſis, cui An. 1603. aliquot lapilli è pedũ digitis in thermis prodibant, qui afflictiſſimo homini ambulandi potentiam antea ademerant, eaſdem thermas magnopere cõmendabat. Nobiliſſimus quin etiam N. ab Hirſchberg in ipſo paroxyſmo non ſine fructu thermas vſurpabat.

pabat. Nec præterire poſſum fidicinem Argentinenſem qui in hoſpitio Ungemach/grauiſſimis podagricis doloribus in medio thermarum vſu corripiebatur cumque diem & noctem extra thermas eiulatu traduxiſſet, tandem delatus in balneum eadem die remiſſionem ſenſit, tertia vero die, quaſi nunquam laboraſſet, tripudiabat. Idem accidit hoc anno vxori Rorbachij præfecti Neuſtadiani & alijs pluribus.

De cutis ſcabie & vlceribus.

QVemadmodum ſcabies ſic etiam vlcera à varijs humoribus oriuntur, ſanguine ſcilicet, pituita, bile, melancholia & ſeroſo humore, quandoq; ab vno ſimplici, quandoque ex plurium commixtione. Interdum ſubeſt materia humoralis ſcabiem & vlcera fouens, interdum ſublata etiam materia, ſcabies & vlcera remanent. Adeſt interdum pruritus moleſtus interdum nullus. Alia denique ſcabies ſimplex eſt alia contagioſa & maligna. Cum autem

omnis

omnis generis ſcabies & vlcera deterſionem & exiccationem citra acrimoniam & mordacitatem deſiderent, thermæ vero vtrique ſcopo ſatisfaciant, in frequentiſſimum vſum veniunt. Hoc equidem teſtari poſſum fœdiſſimã ſcabiem & vlcera inueterata, quæ nullis pharmacis & emplaſtris ceſſerunt paucis diebus thermarum balneo curata eſſe.

De gallicis autem vlceribus ſeu ſcabie hiſpanica compertum habeo, per thermas Badenſes, quicquid de alijs thermis dicatur, curari non poſſe: Quin imo obſeruaui lue iſta infectos, thermarum vſu longe deterius habere. Scabies hiſpanica.

De Symptomatibus in vſu thermarum contingentibus.

PARS QVARTA.

SIcut in magnis morborum curationibus per pharmaca inſtitutis, ſic etiam in vſu thermarum ſymptomata quædam eueniunt quæ non ſolum ægros de felici effectu anxios & ſolicitos

reddunt, ſed magnas etiam moleſtias pariunt. Quanquam autem homines ignorantes ſibi perſuaſum habeant huiuſmodi ſymptomata abſque medicamentorum ope, continuato thermarũ vſu tolli poſſe, eſt tamen abſurda & perniciosa perſuaſio. Dum enim eiuſmodi ſymptomatibus mederi conantur, plures horas balneare ſolẽt, donec tandem exhauſtis viribus grauiſſimiſque animi deliquijs obrepentibus in vniuerſum à thermis abſtinere cogantur. Diligenter ergo conſiderandũ an huiuſmodi ſymptomata immediate à thermis vel mediante interna corporis diſpoſitione proueniant. Si immediate vtpote eſt Excoriatio, ſolus thermarum vſus recte inſtitutus ad curationem ſufficit: Sin interna aliqua cauſa concurrit, quæ vel nullo modo, vel difficulter thermarum vſu tollatur, vtpote in vomitu, tuſſi & ſimilibus, tunc medicamentorum vſus neceſſario requiritur.

Sunt autem frequentiſſima ſymptomata excoriatio, ſitis, animi defectio, vomitus ciborum faſtidium, Eryſipelas aluique adſtrictio.

De

De excoriatione.

EXcoriatio plerunq; 12. vel 14. die apparet cum pruritu & ardore totius cutis ſuperueniens. Superuenit tamen interdum poſt completum balneandi terminum. Quandocunq; autem apparet, ſequentes regulæ obſeruentur.

1. Æger apparente excoriatione ab vſu thermarum non recedat, ſed ad minimum quatuor, vel quinq; horis per diem inſiſtat.

2. Si ſufficiens facta ſit excoriatio, parcius & tepidius balneandum, vt noua cuticula regenerari poſſit.

3. Si excoriatio ſufficienter facta, curationem ſeu regenerationem nouæ cuticulæ difficulter admittat, thermis non recentibus, ſed quæ per diem & noctem in cellulis ſteterunt, vtendum.

4. Si pruritus inſtet, tarde vero excoriatio procedat, frequenter in lecto vel ſtufa ſudandum, finitoq; ſudore balneandum.

5. Durante excoriatione à medicamentorum purgantium vſu abſtinendum. Sin neceſſitas requirat, mane purgandũ à meridie vero balneandum. 6. Men-

6. Menſtruis purgationibus ſub tempus excoriationis incidentibus ab vſu thermarum non recedendum, niſi præter modum cum viriũ infirmitate profluant. In quo caſu ſi excoriatio retrocedat, finito menſtruorum fluxu compenſandum quod neglectum fuit, vt excoriatio incepta reuocetur.

7. Si excoriatio prima ſeptimana accidat, quod interdum fieri ſolet, non tamen propterea ſanata excoriatione à thermis abſtinendum. Excoriatio enim ſufficientis balneationis ſignũ non eſt.

8. Nec etiam de bona thermarum operatione deſperãdum; ſi completis horis peractoq; balnei tempore nulla excoriatio facta eſt. Excoriatio enim certum ſignum bonæ operationis non eſt.

De Siti.

SItĩ medentur acidulę Syrupus Granatorum acidorum, Morſelli ex ſucco Citri, Berberorum, Ribium, Ceraſorum acidorum & ſim. præparati. Item Electuarium ex ſucco Rubi Idæi cum ſ: q: Sachari confectum. Danda etiam opera ne thermæ ipſo actu nimium calidæ vſurpen-

pentur. Quod ſi bilioſus humor ſitim efficiat blande eliciendus per infuſionem Rhabarbari in aq: Endiuiæ. Abſtinendum denique ab edulijs aromatiſatis & vino generoſo.

De animi defectione.

SI balneantes animo deficiant, parcius balneandum & ratio potius virium quam horarum præſcriptarum habenda. Ieiuno etiam ſtomacho haud inſideant. Deinde in promptu ſemper ſint aquæ cordiales, vtpote aqua perlarum, Cinamomi, Vinum maluaticum: Balſama, acetum roſaceum naribus admotum. Morſelli etiam ſequentes in vſu eſſe ſolent, ſi in ipſo balneo ſumantur.

℞. pul: groſſi Cinam. ℥iij.
Ambra gryſ. g. VI.
Sach. diſſol. in aq. Roſ. q. ſ. fiant morſelli.

De vomitu.

PEr vomitum ſæpe cruda phlegmata vel etiã bilioſa materia reijcitur. In quo caſu repetitis purgationibus materiam peccantem reſpicientibus, vtendũ erit. Deinde frequenter vſurpandæ ſunt

Trageæ ſtomachales. Interdum cucurbitula ampla ad ventriculi regionem etiam in ipſo balneo imponenda.

De ciborum faſtidio.

CIborum faſtidium primis quatuordecim diebus plerunque ægros moleſtat, donec excoriatio tranſierit. Tunc enim ſua ſponte appetitus redit. Interim tamen conſerua Roſ. cum Spiritu Vitrioli vſurpetur, item acidulæ & quæcunque appetitum reuocare ſolent. Brodia etiam acidula, pruna acida, pulli cum vuis immaturis præparati & ſim: frequenter comedantur.

De eryſipilate.

MOleſtum acidens eſt Eryſipelas, quo ſuperueniente per diem vnum atq; alterum thermæ intermittendæ & ſudoribus indulgendum. Mirifice autem & celeriter opitulatur hoc linimentum.

℞. Lapid. Calam.
Terr. ſig. an. ℨ ij.
Litharg. aur.
Ceruſſ. lotæ in aq: plantag. an. ℨ ß.

Cam.

Camphor. g. iij.
Ol. Roſ. ℥ iij.
Ceræ alb. q. l. fiat linimentum abſque igni.

Quod ſi pars ab Eriſipelate obſeſſa notabiliter intumeſcat ab vſu prædicti linimenti abſtinendum & euacuationi humoris bilioſi incumbendum.

De alui adſtrictione.

NOn eſt frequentius malum quod balneantes corripit, quã alui pertinax adſtrictio.

In hoc caſu ante omnia, idonea victus ratio inſtituenda, cibi laxantes frequenter ſumendi, vt ſunt pruna dulcia, paſſulæ, ſpinachia, beta, pyra cocta cum ſemine fœniculi.

Elixis potius quam aſſis vtendum. Abſtinendum ab omnibus acidis & adſtringentibus. Hiſce nihil vel parum auxiliantibus ad ſuppoſitoria & clyſteres quotidianos vel vina laxantia confugiendum.

FINIS.